





14
13366
Q. D. B. V.
DE
FORO MILITARI,

AMPLISSIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ
CONSENSU,

PUBLICE DISPUTABUNT

PRÆSES

JOACH. ANDREAS
HELVIGIUS,

JUR. UTR. LICENT. PROF. JUR. ORDIN.
CONSIST. REGII ASSESSOR,

ET

RESPONDENS,


PHILIP ERNST DE HORN,
EQVES POM.

ANNO MDCCXXVI. M. MAJIS,

IN

AUDITORIO MAJORI

H. L. Q. C.



GRYPHISWALDIE,

Typis DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,
Reg. Acad. Typogr.

1726 12 2

15

△



POTENTISSIMI ac INVICTISSIMI
SVECORUM REGIS
IN POMERANIA OCCIDENTALI
PRO-PRINCIPI,
COMITI ILLUSTRISSIMO ET CELSISSIMO,
CANCELLARIO ACADEMIÆ GRYPHICÆ
MAGNIFICENTISSIMO,

DOMINO MEO GRATIOSISSIMO,
UT ET RELIQVIS

ILLUSTRIS REGIMINIS POMERANIÆ SVECICÆ

DOMINIS CONSILIARIIS,
ILLUSTRIBUS, GENEROSISSIMIS, EMINEN-
TISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS,
PATRONIS ac MEIS PROMOTORIBUS
MAXIMIS,

OMNIQUE OBSERVANTIÆ ET PIETATIS CULTU
ÆTERNUM VENERANDIS,

DISSERTATIONEM HANC JURIDICAM
IN DEVOTI CULTUS TESTIMONIUM,
ET IN SUISUORUMQUE STUDIORUM COM-
MENDATIONEM

CUM VOTO OMNIGENÆ FELICITATIS
HUMILLIME CONSECRAT ET SUBMISSE OFFERT

PHILIP ERNST de HORN.

I. N. J.

De Foro militari Disertatio.

CAP. I.

De Fori militaris definitione & divisione.

CONSPECTUS.

Ingressus, deque contentione inter *Præf. Præf. & Magistrum militum* n. 1. & 2. *Controversia inter Magistratum Civilem & Militarem adhuc hodie frequens* n. 3. *inde materia hujus Disertationis* n. 4. *de Nomine fori* n. 5. & *militis* n. 6. *num militia sit dignitas* n. 7. *seqq. definitio Fori militaris* n. 12. *ejus expositio* n. 13. *seqq. variae Fori & Judicii appellationes* n. 14. *seq. Forum militare non est fixum* n. 20. *de Fine & effectu fori militaris* n. 21. *Quotupliciter quis alias sortiatur forum remissivè* n. 22. *divisio fori militaris varia* n. 24. *ratione diversa militia* n. 25. *ratione cause* n. 26. *ratione judicis* n. 27. *in simplex & mixtum* n. 28. *seqq. in superius & inferius: & quænam cause ad istud* n. 31. *quænam ad hoc pertinent* n. 32. *respectu modi procedendi in ordinarium & extraordinarium, ubi & de Statario judicio militari, & quod ei simile* n. 33. & 34.



DE Foro competenti, tanquam judicii basi, magistratum inter Civilem & militarem subinde lites oriri solent, cum de militia ejusque causa subnascitur quaestio, quem penes magistratum tunc esse debeat cognitio & decisio. Nova

quidem hæc non est contentio inter diversos magistratus, sed jam antiquitus obtinuit, maxime postquam aucto-

A

auctoritati *Præfecti Prætorio*, per creationem *Magistri militum* à *Constantino Imperatore* factam, multum detractum est, isto ægrè eam ferente, ideoque quod suæ jurisdictionis quondam fuerat ad eandem revocare cupiente: hoc vero quod semel ipsi concessum erat, non tantum conservare, sed & extendere annitente, & verisimile omnino videtur, *Magistri militum* conatibus pro extendenda sua jurisdictione Imperatores connivere sæpe coactos fuisse, ne ferociam militum adversus se excitarent, indeque factum fuisse, ut cum primitus *Magister militum*, ad exemplum *Magistri Equitum* in statu populari Romano creatus, causas saltem inter milites horumque delicta militaria definiret, deinceps in aliis etiam causis imo & civilibus sententiam diceret jurisdictionemque exerceret, utpote cui soli & exhibendi & coercendi militarem reum potestas concessa esset. Vid. *L. 6. C. de Jurisd.*

3 *omn. jud. ibique Vultej.* Antiqua illa inter diversos magistratus controversia nondum desit, sed adhuc hodie diversis animi motibus sæpiusculè movetur, cum periculorum functio, rerum civilium & forensium imperitia, juris ignorantia & favor præclaræ militum operæ, ob quæ inter alia privilegia & *forum militare* nacti sunt, in modernis nostris militibus locum habeant, quare

4 materiam hanc de *Foro militari*, cui & nos *Fiscalis Regii* nomine duo ferè lustra quondam interfuimus, ob frequentem in praxi usum uberiori expositione & discussione dignam judicavimus, eamque *Pomerania nostra Suecica* subinde accommodavimus. De nominibus *Fori* & *militis*, ac vario utriusque significato jam non adeo solliciti erimus. Sive enim *Forum* in genere neutro, sive *forum* in genere masculino dicatur, ut apud *Non. Marcellum de Prop.*

de Prop. serm. c. 3. & Canonistas c. 10. X. d. V. S. locum exer-
 cendarum litium, à ferendo, iuxta Varr. de L. L. Lib. II.
 quod controversias suas eo deferrent, ita appellatum,
 & sic *judiciale seu judicarium*, non *venale seu negotiorum*
forum, nos intelligere facile percipere licet. Quemad- 6
 modum & de milite, cujus etymologiam vid. apud Ulpi-
 anum in L. 1. §. 1. ff. de test. milit. ibique DD., nullo alio quam
 armato matriculæ militari inscripto nobis sermonem esse
 constat, *caelesti & civili militia* hic plane exclusa. Num 7
 vero hæc *militia armata*, de qua loquimur, ad *dignitatem*
 referri debeat, pluribus discutere operæ pretium non
 esse ducimus. Equidem Jason. ad L. 29. C. de Pact. n. 3.
 hoc & aliis ab eo adductis textibus probare voluit, quod
 militia non sit dignitas, quia in eis militia & dignitas 8
 sibi opponuntur propter particulam alternativam *vel*,
 quæ cadit inter diversa. Enim vero licet particula
 hæc de sui natura cadat inter diversa, tamen id non 9
 omnino & semper obtinet, cum ea sæpè in Jure nostro
 etiam pro *Et* sumatur ut in L. 24. ff. de Procurat. in L. 4.
 §. 2. ff. de Edend. in L. 18. ff. Com. prad. & aliis multis text.
 Præterea *Magistri militum* officium sine dubio militare 10
 erat, & nihilominus pertinet ad Magistratum digni-
 tatem quæ *Illustris* appellatur L. 1. C. de Off. Mag. mil. Cujac.
 ad L. 1. C. de dignit. ut vel eo nomine omnis gradus mili- 11
 tiæ non possit à dignitate excludi, quamquam grega-
 rium militem dignitate reali vel personali non gaudere
 non diffiteamur, & ita interpretandus erit Farinac. qvè
 într. de Test. quest. 77. n. 223. milites egregias facit per-
 sonas, easque non in loco judicii, sed domi jurare teneri
 asserit. Est vero *forum militare exercendarum litium locus* 12
vel judicium, in quo Judex militaris inter militares viros vel
 acta

actorem publicum, vel privatum actorem etiam non militem, & reum militarem de causa ad suam jurisdictionem pertinente cognoscit, eamque sententia dirimit & exequitur. Vid. J. R. M. Verordnung / welcher gestalt es bey den General- und Regiments- Gerichten unter der milice gehalten und was dabey in acht genommen werden soll / allegari plerumque solet Schwed. Krieger, Gerichten, Ordnung / Stockholm / den 2. Martii 1683. Generis loco in definitione posuimus locum exercendarum litium c. 10. X. de For. comp. quod forum nostrum militare commune habet cum quovis alio competenti foro ordinario, communi vel speciali, qualis locus iudicii aliàs dicitur tribunal & sedes ipsius jurisdictionis L. 1. ff. de iud. L. 14. C. eod. vel auditorium L. 1. ff. an per al. caus. appell. L. 1. inf. ne de stat. defunct. L. 4. C. de lib. caus. aut Praetorium de quo Lips. de Milit. Rom. Lib. V. p. m. 217. & L. 4. C. de oper. publ. L. 3. C. de Met. L. ult. C. Th. de offic. omn. Jud. Consilium L. 11. ff. de off. cons. L. 2. ff. de off. ej. c. m. j. L. 27. ff. de manum. test. Consistorium in quo loco Iudices consistunt L. 1. C. de Com. Consist. XII. 10. Nov. 23. c. 2. can. 28. C. II. quest. 6. c. Pastoralis de sent. & re jud. in Clem. Synedrium L. f. ff. de decr. ab ord. fac. Hoc speciale est in foro militari quod tribunal in certo & fixo non sit loco, qualem habere solet forum commune, sed nostrum quasi ambulatorium sit, dum iudicium hoc exercetur, vel in loco stationis è quo excubiæ dividuntur & disponuntur, auff der Hauptwache / vel in ædibus iudicis militaris, vel in hujus tentorio aut tabernaculo, quando milites in expeditione & castris sunt, quemadmodum & reliqua quæ in definitione adjecta hoc nostrum satis distingvunt à foro alio, cum ratione Iudicis, tum ratione personarum huic iudicio subjectarum, ut & respectu causarum ad id pertinentium, proindeque differentia ex subjecto & objecto

& objecto ab alio foro fit manifesta, ut ex sequentibus
patebit. *Finem & effectum* in definitione additum, *forum* 21
militare iterum habet communem cum ordinario foro,
ut, postquam causa cognita & discussa, lis per sententiam
dirimatur & sententia exequatur, de quibus pluribus
Cap. fin. ubi de processu militari. Sortitur alias quibus *forum* 22
variis modis, vel ratione domicilii, vel intuitu rei sitæ,
vel causæ, respectu contractus, aut ratione delicti, con-
nexitatis causæ, prorogatæ jurisdictionis, de quibus
vid. *Comment. ad tit. ff. & C. de judic. & ad tit. Decret. de Foro*
compet. Nec miles ab omnibus istis forum sortiendi 23
modis exemptus est, si enim vel rei qualitas, ut si con-
cernat rem immobilem militis, vel causa, si hæc eccle-
siastica vel feudalis sit, id exigat, miles ordinarium rei
sitæ, Consistorium Curiamque feudalem habebit Judi-
cem. Nihilominus tamen forum militare, quod ex 24
privilegio militantibus competit, hujusque respectu
non nisi unum, intuitu tamen *diverse militis*, aut *causa-*
rum, *Judicis*, *modique procedendi varie dividi* potest. Militia 25
enim alia *navalis*, alia *terrestris*, hæc vel *equestris*, vel *pede-*
stris est, ad quam & rei *armamentaria*, sive tormentariæ, ut
& *architecturæ militaris officiales* pertinent, qui diversæ
militiæ milites partim communibus, partim cujuslibet
militiæ propriis legibus reguntur & judicantur. *Ratione* 26
causa est vel *Civile*, vel *Criminale*, quando vel *Civiliter* ex
jure personarum, rerum, & actionum agitur, vel *Crimina-*
liter, ubi pœna infamiæ, Capitalis aut corporis afflictiva
infligenda, wann jemand auf Ehr/ Leib und Leben ange-
flaget wird/ de quibus causis *infra Cap. 3. dicendum.*
Ratione Judicis, in *simplex & mixtum*, in *forum militare suspe-* 27
rius, & *inferius.* *Simplex*, ubi ejusdem militiæ præfecti
sunt

- 28 sunt iudices, *mixtum* vero ubi diversæ militiæ officiales iudicant, quod ex variis causis contingere potest v. g. ob lites inter diversæ militiæ personas subortas, ob defectum ejusdem militiæ præfectorum ad numerum iudicantium implendum requisitorum, vel quando
- 29 iudicio militari adstant deputati magistratus urbani, quibus circa processum quidem monere fas est, voto tamen decisivo non gaudentes, ut *Resoluzione regis ad Gravamina Statuum Pomeraniae data Holmiæ d. 24. Dec. 1684. §. 5.* constitutum, & in *Resol. Alt Ranstadiensi d. 13. Junii 1707.* repetitum est. Et quamquam hæ Constitutiones Regiæ loquantur de casu acquisitionis militum violentæ, quando civis de ea queritur, quod tunc iudicium *mixtum* institui debeat, nihilominus tamen & in aliis causis & litibus gravibus cives inter & milites enatis, ubi ad vim, arma, verbera & cædes perventum, desiderante Magistratu urbano iudicium hoc *mixtum* concessum fuisse, experientia didicimus
- 30 beneque novimus. Porro distinguitur in *Forum militare superius das Ober- oder General-Krieges-Gericht* / ad quod pertinent Crimina Læsæ Majestatis, proditionis, integram legionem vel Centuriam concernentia, item lites inter præfectum & gregorias milites Subortæ, quando inferius iudicium est suspectum, aut causa ipsum concernat, si de fama & vita Præfecti aut Nobilis sveci agatur, quamquam postmodum per *Resol. Regiam d. 20. Febr. 1699.* constitutum, ut, si Nobilis non est e numero officialium superiorum, so keine Oberofficier charge haben / coram inferiori iudicio militari sit conveniendus, aut si à sententia inferioris iudicii in causa Civili ad superius provocatum sive appellatum fuerit iudicium. Vid. *Schwed. Kriegs-*

Kriegs- Gerichts- Ordnung de Anno 1683. d. 2. Mart. Ad 32
inferius iudicium, das Regiments Krieges- Recht / spectant
 omnes causa, quæ in vita communi occurrunt sive Civi-
 les, sive Criminales fuerint, & hæ gregarios tangant
 milites. Respectu *modi procedendi*, dispescitur in *ordina-* 33
rium, ubi aliquali majori cum apparatu causa discutitur,
 & *extraordinarium* quale est *iudicium militare Statarium*, das
 Stand- Gericht / quod obtinet in causis notoriis & liqui-
 dis, quando exercitus est in itinere, licet causa fuerit
 capitalis, quale & apud Romanos in usu fuisse colligere
 licet ex *Polyb. Lib. VI. Hist. c. 34. in fin.* Cui statario iudicio 34
 simile quodammodo, quando in levioribus in præsentia
 Præfecti Excubiarum convictus & confessus, v. g. eqvo
 ligneo imponitur, aut cippo alligatur miles. Confer.
Dn. Pauli Ciesii Sciagraphia iudicii milit. Criminalis.

CAP. II.

De Personis Foro Militari subjectis.

CONSPECTUS.

Primarium Subjectum est miles. n. 1. Qui militare, quæ
 ad militiam cogi possint remisere. n. 2. de quibus militibus
 sermo. n. 3. Violenta conquisitio prohibita in Pomerania. n. 4.
 Nec proprii nostri homines ad militiam legendi. n. 5. bene tamen
 alii liberi homines, etiam cives. n. 6. Quando milites in Suecia
 foro militari non subsunt. n. 7. Sacramentum militum superiorum
 & gregariorum aliquando differtur. n. 8. 9. nec exceptio nondum
 præstiti juramenti attenditur. n. 10. Ad secundarium Subjectum,
 quæ persone pertineant. n. 11. An Pastor Castrensis. n. 12. 13. 14.
 quid de Mercatoribus Castrensis & similibus habendum. n. 15.
 Hi in præsidio in Pomerania non tolerandi. n. 16. Militia dimisse

non pertinent ad forum militare nec in Pomerania. n. 17. 18. missio consensu Gubernat. Gener. fieri debet. n. 19. An ad forum militare spectent die Snaden. Gelder accipiunt. n. 20. An isti qui Wart. Gelder quorum diversa est conditio. n. 21. 22. 23. An huic iudicio subsint die Voluntaires. n. 24. Quid habendum de dimisso, qui abiit rationibus administrationis pecunie militaris non redditus. n. 25. 26. 27. 28. Quid si agatur de rationibus saltem editione. n. 29. Creditor ejus in loco gestæ administrationis eum convenire non potest. n. 30. Uxor militis pertinet ad forum militare. n. 31. & 32. nisi ante matrimonium contractum alibi inchoata. n. 33. Uxor vero militis intelligenda legitima. n. 34. de vidua militis. n. 35. de sponsa. n. 36. de familia & familiaritate militis. n. 37. & quid in Pomerania juris. n. 38. 39. Qui non pertinent ad forum militare. n. 40. Quid operetur continentia cause. n. 41. Constitutio & circumscriptio potestatis magistratus militaris dependet à Principe. n. 42. An miles foro suo privilegiato renuntiare possit. n. 43. rat. dubit. n. 44. rat. decid. n. 45. & seqq.

Persona quæ ad forum militare pertinet, est primario miles, qui nomen suum armatæ militiæ professus, in numerum relatus & solenni sacramento adstrictus est. L. 42. ff. de Test. milit. L. 2. ff. de Veter. L. 13. §. 3. ff. de R. mil. Quinam vero nomen militiæ dare, & utrum ad eam cogi possint, id jam ad nostram non spectat disquisitionem, cum quid apud Romanos obtinuerit utroque casu, apud Lips. de milit. Rom. L. 1. dialog. 2. & seqq. & Cl. Salmas. in Op. posth. de Re milit. Rom. t. t. C. qui mil. p. vel. n. legere liceat, & quæ modernos nostros milites eo nomine tangunt, ea Paul. Henricus Tilemann. peculiar. de Conquisitione militum exposuerit. Nobis enim de militibus bello operatis est sermo, non habito respectu ad Con-

ad Conqvifitionis modum, five illi fint gregarii, five his
 Præpofiti, ut Duces, Tribuni, Præfecti, Centuriones,
 vel qvovocunqve tandem veniant nomine qvi omnes in
 Röm. Käyf. Mayr. und des R. Neur. Vef. Maximil. II. S. 50.
 dicuntur groß ober klein Hatz. Hoc faltem ex legibus Pro- 4
 vincia notamus, qvodicum R. J. Ratisb. d. anno 1641. con-
 grueniter *omnis violenta conqvifitio militum fit prohibita,*
 Placat von der Werbung / *de dato Stettin d. 7. Oct. 1688. d. 6.*
Mart. 1703. d. 28. Jan. 1704. aliisque, qvodicum *proprii nostri* 5
homines, die Leibeigene und Untertanen, non poffint invitis
 dominis in numerum militum recipi, fed his competat
 jus revocandi, & poffulantibus ftatim reddendi fint :
 qvemadmodum e contrario liberis hominibus, etiam 6
 Civibus, permiffum, nomen ad militiam dare, ut tamen
 hi prius juri Civico renuntient, omniqve Civico abfti-
 neant qvæftu J. R. M. Placat wegen Verhaltens dero *Athice* in
 Pommern / *de anno 1669. ejusqve Renov. die 30. April. 1681. S. 10. & 11.*
 Ifti ergo milites, five Judicis Affefforumqve, five actoris
 vel rei fuffineant partes, *primarium* fori militaris funt
 fubjectum. Hoc peculiare *in Suecia* eft, ut milites, fi 7
 neqve in castris vel itinere aut in præfidiis funt, aut ad
 opus aliquod faciendum non miffi, foro militari non
 fubfint, fed forum magiftratus civilis agnofcere tene-
 antur ordinarium. Vid. R. Schwed. Kr. Ordn. S. 17. & nos
infra. Eqvidem qvodicum *militum* concernit *sacramentum*, 8
 fæpiuscule accidere folet, ut juramenti præftatio diffe-
 ratur in tempus qvo milites univerfi luftrantur, biff die
 General-Munfterung gefchehet / ut ita obfervatum memini-
 mus in fuperioribus Ordinum Ductoribus & Præfectis,
 bey denen Ober-Officieren / qvi tamen nihilominus codicillis
 Regiis exhibitis cohorti præponuntur, werden dem Regi-
 mene

9 ment surgisset / suoque funguntur officio, dilato tantis-
 per solenni juramento. Gregarii vero milites, postquam
 nomen suum apud Conquistorem, aut alium, cui id
 negotii datum professi sunt, mox solenni præstant jura-
 10 mentum, si tamen & in his dilatio contingeret, æque hi
 ac isti ad forum nostrum militare pertinent, nec exce-
 ptione præstiti nondum juramenti inde se liberare pote-
 runt, cum speciali vinculo conditionis operarum bel-
 licarum jam sint adstricti, annonam militarem, diver-
 sorium, stipendiumque accipiant, Commis, Quartier,
 Gage oder Löhnung / indeque & ad officia militaria obli-
 gentur, & si quid circa ea delinqvant, in foro militari
 propterea recte puniantur, quamquam si leve sit deli-
 ctum, nec diu in militia quis stetit, mitius cum eo agi
 soleat. Vid. Eberh. Hoyer in C. J. Mil. ad J. Mil. Brand. art. 89.
 11 p. m. 226. *Secundario* ad forum militare referendæ istæ
 personæ, quæ quidem non collectæ & conscriptæ ut
 cum hoste, quando opus fuerit, certarent, inter asseclas
 tamen militum & ad statum militarem omnino perti-
 nent, & juramento codicillis aut instructionibus con-
 formi obstricti sunt. Tales sunt Justitiiarii, Auditor
 Generalis, Actor Regis publicus seu Fiscalis militaris,
 Auditores & Schulteti Legionum, Viatores & similes,
 ut & annonæ Præfecti, Commissarii, vehiculorum,
 carrorum, rhedarum curruumque Inspectores, latrun-
 culatores, rerum Capitalium quæsitores, Proviandmeister/
 Kriegs-Commissarius, Wagemeister / General- Gewalttaer / dessen
 Lieutenant, Rumormeister und Profossen, nam & isti omnes
 12 jurisdictioni militari subsunt, imo qui in *famulatio* &
ministerio militum sunt, huc quoque spectant. De
Pastore Cohortis millenarie quæsitum memini, num iste ad
 forum

forum militare pertineat, & jurisdictioni militari subfit
 quidam existimabant & hujus forum competens esse
 militare, quia ab hoc nemo qui matriculae militari in-
 scriptus exemptus esset. Enim vero cum *Pastor sit* 13
persona ecclesiastica, & vel in expeditione cum exercitu in
 castris degat, vel domi in Praesidio officio suo Pastoralis
 fungatur, neutro casu jurisdictioni militari erit sub-
 jectus, sed vel *coram Consistorio Castrensi*, aut *ordinario Pro-*
vincia Consistorio conveniendus erit, quemadmodum apud
 nos nullum de eo est dubium, quotidiana docente expe-
 rientia, hos Pastores in Regio Pomeraniae Consistorio
 conveniri iisque mandari, cum nullibi ab ejus juris-
 dictione exempti reperiantur. Conf. *Haupt-Commissions-*
Recess. de anno 1663. §. als man auch sorgebracht / welcher gestalt die
Prester / so bey denen Gvarnisonen besellet / etc. etc. ibi: Sie unter
des Superintendentis, ut Consistorii inspectione seyn / und dieselbe des
Einsehens / vermittelst inhibition und relation an der Köntgl. Regie-
rung dagegen gebrauchten. Sanè si Pastor in *foro militari* cum 14
 quodam litigavit, recte ratione salarii in eodem ab
 Advocato convenitur, qui non tenetur eo nomine
 Pastori litem movere in Consistorio, quia forum pro
 salario Advocati est illud, ubi Advocatus operam præ-
 stitit, *Gail. L. 1. O. 1. n. 37. & 1. O. 44.* Nec quisquam melius
 de labore operisque Advocati judicare & eas aestimare
 possit, quam Judex ubi lis agitata est, adeoque conti-
 nentia causae exigit, ut Pastor eo casu Judicem milita-
 rem agnoscat. Postquam vero sententia super sala-
 rio lata est, ad eam exequendam remittitur ad Consisto-
 rium, *Mev. P. 1. D. 234.* Quod annonam militarem adve- 15
 hentes, Mercatores Castrenses concernit, de Marque-
 senter, *Kedmer / Messer / Vivandiers*, illi non minus juris-
 dicti-

- dictionem militarem, cui voluntariè se subijciunt, agnoscere tenentur, & Inspectioni & Directioni Auditoris Generalis ratione taxæ aliorumque subsunt. Vid. Königl. Schwed. G. Aud. Instr. §. 5. adde sis *Hoyer Corp. 7. Mil. p. m. 583.*
- 16 His tamen annonariam Provisionem ultra milites extendere non est licitum, d. R. Imp. Ratiob. de anno 1641. So dann der Marquetenster halber. & Serenissimus Rex Sveciæ in Instr. Lustrat. Commis. specialiter in favorem Civium constituit, ne Præfecti militum tales habeant annonarios, nisi milites in itinere aut castris sunt, præfidiariis enim hoc permissum non est. *Instruktion vor die Gen. Munsterungs Commisarien in Pommern, de dato Königsbhr den 20. Febr. 1684. n. 10.* daß die Officirer in denen Gvarnisonen keine Marquetenster halten / sondern selbige gänzlich abgeschaffet / und dero Unterthanen und Bürger / der etwa daraus entstehender Gewinn gegöndet werden soll.
- 17 Subjectum itaque fori militaris constituunt milites actu militantes, quique ministerium operamque militiæ & bello præstant: Quare milites missi, sive honestè & causariè, multo magis ignominiosè, jurisdictioni Judicis militaris non subsunt, sed postquam conditionem & statum militarem reliquerunt, jurisdictionem Magistratus ordinarii agnoscere tenentur. *Mev. P. 2. D. 72. §. IV. D. 273. jung. Lyncker Dec. 682.* ut ut enim privilegia quædam honeste sacramento militari solutis jure Romano competierint, ea tamen pro statu nostratis militiæ cum non sint recepta, *Schilt. ad ff. Ex. 50. §. 16.* tanto minus ad privilegium fori militaris extendenda erunt, cum id inter privilegia eorum non recenseatur, quoniam in contrario
- 18 appareat ex *L. 2. seq. C. de Veter.* Apud nos in Pomerania dubium id non habet, cum ad *Jurisdictionem militarem* ex declaratione Regis nostri *nemo pertineat*, qui officio militari

tari non fungitur aut actu miles non est, *d. Const. renov. de anno 1681.* Es soll aber die Jurisdiction militaris weiter nicht / als auff die / so zu denen Garnisonen gehören / und wirkliche Dienste haben / und deren Nahmen in den Munker-Rollen angeschrieben stehen / sich erstrecken. *Cæterum dimissio militis absque consensu Gubernatoris Generalis, omnibus militum Præfectis sub pœna exauctorationis in Pomerania prohibita per Resol. Reg. datam, Halwie d. 5. Dec. 1689. ibi:* daß wer von denen Officieren sich unterstehet ohne des General Gouverneuren wissen und Willen / einen unter dessen Commando gehörigen Soldaten zu licentiren oder absudanden / derselbe soll aller Exception und Einwendens angeachtet / seines Dienstes verlustig seyn. Patet quoque ex dictis quod nec illi ad forum militare pertinent, qui cum gratia annuoque è Camera solvendo stipendio dimissi sunt, die Gnaden-Gelder bekommen / nisi tempore belli in præsidia se recipiant, summo militiae urbiqve Præfecto officia sua offerant, ejusq; tutelæ se commendent, nam hi in memoriam pristini & quasi redintegrati status militaris coram judice militari conveniuntur, ita existimatum *Sedini m. Junii 1712. in causa Capitain SOLDAHNS.* De iis qui actu quidem non militant, ad nutum tamen Principis venire debent, & eo nomine certam quantitatem nummorum accipiunt, die Wart-Gelder bekommen / an & hi foro hoc privilegiato gaudeant *Q? Berger. in not. ad Lauterbach. ap. Mollenbec. Tit. de judic. n. 158.* affirmat, quia in tantum militantes actu judicantur, in quantum ad nutum Principis parati & instructi venire debent. At cum istorum militum non una sit conditio, quidam enim militia dimissi sunt bello sopito, propter egregiam tamen in bello navatam operam, ætatemque adhuc robustam isti nummi eis dantur, ut, quando opus fuerit eos revocari, venire debeant, & hos jurisdictioni militari non sub-

jectos esse existimamus, quia semel milites esse desierunt, & partim in præmium præteritæ, partim futuræ militiæ stipendium accipiunt. Nec quod ad nutum Principis parati & instructi redire debeant forum militare fundat, cum idem obtineat in militia Provinciali, *Land-Miliz / Defensioner*, passim in Germania introducta, quam tamen ordinarii Magistratus loci Jurisdictioni subjectam esse constat, quamdiu in expeditionibus bellicis actu non sunt constituti, quemadmodum & de his *Expectantibus* & stipendia accipientibus in Electoratu Saxoniae per Edictum d. 22. Dec. 1718. §. 5. ita constitutum est teste *W. Z. Cramero indiff. Inaug. ad L. 29. C. d. Fact. §. 8.*

23 *Jung. Stryk. in U. M. ad tit. ff. d. R. M. §. fin.* Alii vero recens incertum ordinem & numerum militum Juramento adsciti, pro annuo stipendio locarunt operas ut eas quocumque ingruente bello præstent, & conducentis Domini ductum sequantur, qui etiam dicuntur *Wart-Geldt* habende *Officier* uno *Soldaten* / & hos ad forum militare pertinere ibique judicandos esse existimamus, quia hi ob statum quem eligerunt merentibus accensendi sunt militibus,

24 *vid. Tileman. de Conqvis. milit. c. 3. §. 4.* Quod militem concernit *voluntarium*, in certum militiæ ordinem non relatatum, nec pro stipendio certo, sed suis sumptibus castra sequentem, is quoque foro nostro militari erit subjectus, cum propria voluntate ad beneplacitum militari se jurisdictioni subdidit, vigilias excubiasque agendo, vel alia belli officia operasque faciendo, ideoque & legibus bellicis circa ea constitutis adstrictus est, & quemadmodum nomen suum superioribus militiæ Præfectis profiteri coguntur, nec enim sine eorum licentia castra sequi, aut præsidariis aliis imperata facientibus se immi-

immiscere possunt; ita & eorum actionibus diligenter
 invigilare debet Auditor Generalis, R. Schwed. G. Aud.
 Instr. §. 9. in Articulis milit. Regis Danie Christi. IV. art. 92. tales
 voluntarii milites non tolerantur. Conf. L. 4. §. 5. ff.
 de R. M. Quod supra de militibus missis diximus; eos 25
 ad forum nostrum militare non pertinere, id non intel-
 ligendum de iis, qui rationibus administrationis pecunie mili-
 taris non redditis abierunt, hi enim nihilominus eo nomine
 in iudicio militari respondere tenentur. Licet enim
 alias administrator gestionis suæ ratione ex contractu
 vel quasi obligetur, cujus nomine competit actio per-
 sonalis, quæ instituenda videbatur adversus administra-
 torem, v. gr. Regiments-Quartiermeister oder Cassier / in loco
 domicilii tanquam competente, tamen ab Imp. forum
 peculiare & proprium ratiociniis datum est, ut ibi dispungi
 debeant, ubi gesta administratio, idque non sine ratione
 constitutum est, quia & in loco gestionis instructio suffi- 26
 ciens, & nota testimonia & verissima possunt præstari
 documenta, L. 2. C. ubi de Ratione tam P. qv. pr. a. op. quæ
 nullatenus tanta facilitate & absque ambagibus in loco
 alio in promptu esse possunt. Quid enim si admini-
 strator ratiociniis militaribus contubernales suos affli-
 xit, si adsint qui documenta ejus, Scilicet verificationes,
 falsa esse probare velint, & quæ alia in implicato ratio-
 ciniorum negotio occurrere solent, quibus obviam itur,
 & litigio citius finis imponitur, quod fieri publicè inter-
 est, si in loco gestæ administrationis rationes dispun-
 guntur, proinde cingulo militari deposito privatæ vitæ
 redditus adlocum ubi esset administrationem remitten-
 dus est. L. 19. §. 1. de iudic. ibi: oportebit se defendere. d. 1. 2. C.
 ubi de Ratioc. ibi: in militari iudicio oportet respondere. Mev.

P. 3. D. 267. Nec existimandum est, quasi contraria consuetudine aliud sit introductum, ut nunc militia dimissus in loci domicilii aut ubi moratur conveniendus sit, quæ *Vultej* est sententia ad L. 1. C. ubi d. Rat. n. 9. quem sequitur *Brunnem.* ad L. 19. §. 1. Nam cum pro observantia legis sit præsumptio, eamque tueantur, *Carpz. L. H. Resp. 33. Mev. cit. Dec. 267. Lyncker. in Anal. ad ff. p. 97. & in Comm. ad tit. de judic. p. 15. M. de Escobar. de Ratioc. c. 7. n. 2. Heeser. de Ratioc. red. Loc. 5. n. 3. & seqq. ibique cit.* merito legibus, jus commune per receptionem in Germania factis, insistimus. Sanè si miles dimissus, ante ad rationes reddendas se obtulit, quam abiret, eo nomine superiorem interpellavit & protestatus est, aut ex causa justa violentiam & oppressionem metuit, per procuratorem in loco gestæ administrationis ad reddendas rationes se offert, defectus qui arguuntur sibi edi petit, & ad eos respondere paratus est, Dominus & Magistratus militaris evocans in eo acquiescere nolit, sed comparisonem personalem urgeat, nec de itu & reditu per literas salvi Conductus olim administratorem tutum reddere velit, magistratus, sub quo quondam miles administrator nunc habet domicilium, remissionem non injuste denegat, ⁹² *Mev. P. VII. D. 392.* Quod de rationibus reddendis diximus, id non obtinet in earum editione, nam hæc ista longe est expeditior, & in alio etiam loco quam negotii gesti commodius fieri potest, *Vultej. & Perez. ad L. 1. C. Ubi de* ³⁰ *Ratioc.* Nec attenditur forum hoc gestæ administrationis, si creditor adversus pecuniæ militaris administratorem, qui pecuniam in utilitatem militiæ non vertit, adeoque ipsi creditori tenetur, in loco gestionis experiri velit, conveniretur enim non ut administrator, sed ut mutu-

mutuitans aut alius debitor simplici, qui in ordinario
 domicilii foro actione pulsandus est. Vid. *Berlich. P. 3.*
Decif. 303. Non vero tantum ipse miles, sed & ejus uxor ad 31
 forum nostrum militare spectat, licet apud Romanos
 feminæ exules à castris fuerint, teste *Lips. de milit. Rom.*
L. V. Dial. 18. p. 344. uxor enim in perpetuo viri est con-
 sortio, & communionem divini & humani juris cum eo
 habet, adeoque ex hujus persona recte forum sortitur
 quodammodo necessarium *L. pen. pr. ff. de jurid. L. 65.*
ff. de jud. L. ult. §. 3. ff. ad municip. L. f. C. de incol. L. 13. C. de
dignit. etiam in causa in qua alteri ante matrimonium 32
 obligata erat, de *l. pen. de jurid. Franzk. ad tit. de judic. n. 12.*
 Si vero lis jam ante alibi mota fuerit, quam cum milite 33
 contraheret matrimonium, cum in judicio accipiendo
 & litem contestando quasi jam contractum, *L. 3. §. 11.*
ff. de pecul. nec in potestate mulieris esse debeat, nubendo
 judicium mutare, ideo frustra ad forum militare mariti
 tunc provocat, ubi enim lis cœpta, ibi finiri debet, cui
 nec privilegium fori militaris superveniens impedi-
 mento est, *L. 7. ff. de judic. Mollenbec. ad Laut. ad tit. de judic.*
n. 99. Faber in Ration. ad ff. ad L. 19. pr. de jurid. Quod vero 34
 de legitima uxore loquamur, id per se patet, nam concu-
 binam vel scortum secum habere nec militibus permis-
 sum est, ut ex diversorum Principum articulis milita-
 ribus constat, & in *art. 89. Sæwed. Ritigs. Artic. statutum,*
 ut cum tali honestum per benedictionem sacerdotalem
 contrahat matrimonium, si eam secum retinere velit,
 aut penam in fornicatores statutam sustineat, suæque
 libidinis receptaculum è castris relegandum. Quod 34
 de militis uxore diximus, id etiam ad ejus viduam pertinet,
 quia quamdiu talis manet, jurisdictione & domicilio
 marici

- nariti ejusque exemptione fruitur, maxime si ex factis & debitis mariti defuncti conveniatur, modo non luxuriosè vivat, *L. 22. §. ff. ad Municip. ibique Bruunem. n. 2.* & ita judicatum in Summo Tribunali in causa *Obrist Uhlsparren B.* contra *Joh. Bulowen* refert *D. Mer. P. IV. D. 117.*
- 36 fecus dicendum de sponsa, quæ quamdiu talis est, domicilium suum non mutat, indeque in eo conveniri debet,
- 37 *Carpz. L. 2. Resp. 24. n. 15.* Ex militis porro persona etiam isti, qui sunt de familia & in ejus ministerio foro nostro privilegiato gaudent, arg. *L. 1. C. ubi de Caus. Stat. Mer. P. 4. D. 273. n. 2.* licet alias famulitium temporarium,
- 38 domicilium non mutet, *Carpz. P. 3. C. 38. d. 18.* De nostrorum militum *Pomeraniæ* famulis, quoniam dicta intelligenda sint non dubitatur, sed an de uxore militis supra posita obtineant, inde dubitationem quam maxime accepit, quia in *Ordin. Regis Svec. quid circa judicium navale, seu Admiralitatis ut dicitur, observari debeat de anno 1685. d. 2. Maji §. 7.* expresse dispositum legitur, quod omnes, qui ad statum navalem pertinent, huic quidem judicio ejusque jurisdictioni pro sua persona & famulis suis subesse debeant, uxore cum reliquis de familia exclusis, & ordinario loci Magistratui subjectis. Jam vero cum specialiter in articulis nostris militaribus nihil de uxore dispositum reperiatur, etiam juxta leges navales, uti alias in hujusmodi casibus, ita & heic, uxor cum cæteris de familia
- 39 à foro militari excludenda videbatur. Enim vero cum id specialiter in istis legibus Svecicis statutum reperiatur, quod uxores cum classe non proficisci, sed domi manere soleant, indeque & ordinario subjecti sint loci judicio, tanto magis, quia Svecia tot diversis non regitur juribus, modusque in judiciis procedendi sit uniformis,

mis, quemadmodum idem, quod de uxoribus d. l. statuitur & in maritis juxta leges Svecanas obtineret, quando non sunt in ministerio, sed domi sedent, d. §. 7. in f. jung. Schwed. Kriegs-Gerichts Ordnung §. 17. quæ Statui Germaniæ æque accommodari non possunt, ideo ea constitutio in ditionibus Germaniæ Svecorum potestati subiectis, nunquam recepta & observata est, sed uxor militis cum familia ejus semper mariti & Domini foro militari usa est, nec unquam aliter judicatum aut observatum esse memini, aut audivi. Qvi itaque nec *primario*, 40 nec *secundario*, neque *ex jure proprio*, neque *ex alieno* ad judicium militare pertinent, eo quoque trahendi non sunt, sed cuilibet magistratui sua jurisdictio in sibi subiectos sit salva, cum à confusione jurisdictionum & nilitum Præfecti sibi omnino cavere debeant, *Resol. R. d. 25. Maji 1689.* Sanè ex continentia causæ contingere potest, 41 ut, qvi aliàs jurisdictioni militaris Judicis subiectus non est, tamen ibi forum sortiatur, ne ejusdem rei & causæ nomine, quam cum militibus communem habet, cum magna temporis & sumptuum jactura sub diversis judicibus litigare cogatur, quod non tantum in civilibus, sed & criminalibus obtinet, *Menoch. de A. J. Q. cas. 371. n. 12. Gail. L. 1. O. 32. n. 1. Berlich. Decif. 220. n. 7. Et ita quoque judicatum in caus. Fiscalis in puncto homicidii contra signiferos B. W. & Bl. ut & M. qvi aliàs fori militaris jurisdictioni subiectus non erat, d. 18. Febr. 1715.* Cæterum 42 cum Magistratus militaris constitutio ejusq; potestatis circumscriptio, à determinatione Principis dependeat, ideo certis ex causis ejus inquisitioni & judicio subicere potest eum, qvi alias ad statum militare non pertinet, ut sub finem belli novissimi *gl. m. Rex Sveciæ CAROLUS XII.*

sanxit speciali edicto in causa proditoris, instituti cum hoste colloqvii, & commercii, aut transfugii. Londini Scavorum d. 10. Mart. 1718. in quo dispositum, daß/ wann einer wieder den 76. 77. und 78. Kriegs-Artikel/ (in quibus agitur de criminibus modo nominatis) sich veründigen solte/ ob derselbe gleich keine Militar-Person/ und von dem Kriegs-Staat wäre/ dennoch dergleichen Sachen und Verbrechen künfftig vor das Krieges-Verichte gehören/ und daselbst abgeurtheilet werden sollen/ damit dergleichen Verbrechen desto geschwinde zur Untersuchung und Aburtheilung kommen mögen/ es soll auch derjenige/ auf welchem man einen Tschwahn hat/ und verdächtig hält/ sofort bey dem commandirenden General oder nächsten Regiments-Officirer angeben/ und die Sache auf seiner Thar untersuchen werden/ auch derjenige/ so einige Kundschaft von dergleichen Verbrechen haben solte/ und es nicht gebühlich offenbahren würde/ soll gleichfalls vor das Krieges-Recht gestellt und Befeg- mäßig nach der Schärffe abgestrafet werden.

43 Postquam diximus de eis, qui foro nostro militari sunt subjecti, non incongrue nunc quaeritur, *an miles foro huic privilegiato renuntiare & pacto semet obstrin-*

44 *gere possit, se eo uti nolle?* Videtur dicendum id ei non licere, quia milites sunt exempti ab ordinaria alterius Magistratus jurisdictione, & in foro iis proprio & peculiari sunt conveniendi, eaque exemptio non tantum in *Ordin. Judic. Milit. Svec. §. 12. fundata, sed & aliis regii resolutionibus ut de anno 1689. d. 25. Maji & 1696. d. 17. Febr. ad Illustre Regimen Pomeran. stabilita sit, adeoque juri publico talis renuntiatio contraria videatur, quæ omnino prohibita est per L. 38. ff. pact. deinde privilegium hoc fori militaris spectare videtur, non tam ad singulos, quam ad universos, totumque ordinem militare, in cujus favorem istud introductum, proinde quemadmodum Jure Canonico prohibitum, ne clericus renuntiare possit*

possit privilegio exemptionis, sed ista renuntiatio fori
 pro invalida habeatur, licet juramento firmata, c. 12.
x. de For. comp. junct. c. 42. & 43. C. XI. q. 1. ita idem & de
 renuntiatione militis habendum esse, ut, ea non obsta-
 te, nihilominus non alibi, quam coram Judice militari
 conveniri possit, cum argumentum à militia cœlesti ad
 armatam subinde duci soleat. *Everb. in loc. Top. in L. de*
mil. arm. mil. ad M. C. M. Sed enim vero cum Jure Civili 45
 expresse contrarium statutum sit, *L. 29. C. de pact.* ubi
 dicitur: *quod si quis in conscribendo instrumento sese confessus*
fuerit non usurum fori prescriptione propter cingulum militie
sua, militem ad pactum hoc servandum, utpote non contra leges
aut bonos mores initum, teneri, ne contrahentes cum milite
decipiantur, & Regula Juris antiqui sit, omnes licen-
tiam habere his quæ pro se introducta sunt, renuntiare,
 ideo ei juri merito insistimus, cum nullibi neque Jure
 Civili, neque in Legibus Svecanis aut Provincialibus
 nostris diversum aut contrarium statutum reperiatu...
 Quod enim *Ord. Jud. Mil. Svec. & allegatas Resol. Regias* 46
 attinet, in eis non prohibetur miles foro suo privile-
 giato renuntiare, sed saltem quod omnes causæ, sive
 Civiles, sive Criminales ad forum vel judicium pecu-
 liare militare pertinere debeant, instar regulæ ibidem
 ponitur, quam generalem assertionem & nos proba-
 bimus, salva tamen exceptione, nisi per conventionem
 foro suo renuntiaverit... Nec quicquam ista renuntia-
 tione *Juri publico* officitur, quod nullum inde damnum 47
 sentit, sed miles proprio suo commodo & favori pro se
 introducto renuntiat, quod omnino liberum ei esse
 debet, nec tangit ullatenus causam Principem, cui nec
 præjudicium inde nascitur, cum miles, cui fortean quis
 C 3 absque

- absque tali renuntiatione crediturus, aut fidem habiturus non erat, fori præscriptione se non ufurum promittit, cumq; alteri per pactum istud jus est quæsitum, hoc ipsi auferendum non est, arg. *L. 4. C. de Emanc. liber.*
- 48 & licet concederetur, in favorem *totius ordinis militaris* privilegium hoc fori datum esse, tamen exinde non sequeretur, quod ei renuntiari non possit, nam & Sctum Vellejanum in favorem totius ordinis muliebris datum est, quis autem ignorat feminam privilegio sibi concessio renuntiare posse, ergo de militibus idem dicendum erit, quibus universis & singulis concessum hoc privilegium, cui sine præjudicio aliorum, quorum forum privilegiatum salvum manet, renuntiare licebit.
- 49 Nec quicquam proficere potest militibus quæ de *Clericorum exemptione* hujusque renuntiatione, in Jure Canonico statuta sunt, cum quia rationes, quibus utitur Pontifex Innocentius sunt invalidæ, tum quod *inter Evangelicos* merito contra *d. Cap. 12. Clerici valeat renuntiatione* teste Stryk. *de Cautel. Contr. S. 1. c. 5. §. 18.* tum quod novum istud Jus, quod Pontifex introduxit, militibus datum nullibi reperitur. Conf. *Matth. Stephani de Jurisd. L. 1. c. 22. n. 12. Et seqq. Ziegler. ad Decretal. ad d. c. 12. X. de Jur.*
- 50 *comp.* Illibata proinde manet jurisdictio militaris, nec omnibus militibus inde nascitur præjudicium, licet Titius aut Cajus, ex conventionione commodi sui causa inita, privilegio pro se introducto uti nolit, & Judex militaris licet non in hac, tamen in aliis causis suam exercet jurisditionem, & sane cum hujusmodi renuntiationes in contractibus sint frequentes, & teste experientia pro validitate earum in judiciis pronuntietur, merito tamdiu regulæ, quod cuilibet fori sui privilegio renun-

renuntiare liceat, inhærendum, donec quis in milite
aliud introductum, ejusque renuntiationem prohibitam
esse, nobis probaverit. Conf. Stryk. in l. Mod. tit. de jurid.
§. 22. seqq.

CAP. III.

De materia, sive Causis ad forum militare pertinentibus.

CONSPECTUS.

DE objecto in genere. n. 1. 2. Quenam cause ad hoc forum non perti-
nent, ut cause spirituales & ecclesiasticae &c. n. 3. in specie num cause
matrimoniales n. 4. de Consistoriis in Suetia n. 5. Consideratio matrimoni
duplex n. 6. ab generali regula excipiuntur cause Consistoriales n. 7.
Cause matrimoniales sunt apud nos Consistoriales, quod probatur editis
Regis n. 8. 9. posterioribus Ord. Eccles. Suet. n. 10. probatur prajudicis
& judicatis n. 11. respond. ad Ordin. Suet. n. 12. Poena inflicto pertinet
ad magistratum militem n. 13. de Consistorio Castrensi Regis Borussiae
remissive n. 14. Ziegler. sententia de ea re n. 15. Secundo excipiuntur
bona militis immobilia ex jure communi & speciali provinciae jure quod &
obinet quando bona ista extra civitatem sunt sita n. 16. & seqq. Tertio huc
non pertinent cause feudales, & quis Judex in iis jure Communi & Pro-
vinciae n. 21. 22. Alias omnes cause eo pertinent n. 23. de testamentis
militum Svecicorum n. 24. 25. 26. Inventarium conficiendum militis mor-
tuo n. 28. Eo non confecto, miles tamen ultra vires hereditatis non tenetur
n. 29. & seqq. Negotia inter viros huc spectant. & quidem ex jure perso-
narum de statu militari questio, num legi in militem potuit, an coacta fuerit
lectio, & quis tunc modus procedendi, ut tamen judicium militare Judex
mane. it. postmodum Regimen Pomeranicum de coacta militum conquisi-
tione cognovit & judicavit, tandem tamen facultas judicandi in hac causa
judicio militari reddita n. 35. 36. - 41. Cognitio de filiatione, legitima-
tione, & alimentacione huc spectat n. 42. 43. modi solvendi P. P. n. 44.
de tutela, excusacione ab ea, & modo eam finiendi n. 54. seqq. jus rerum
huc spectat, in re & ad rem, n. 49. de occupatione bellica, & animalium
ferocissim

ferocium n. 50. de modo acquirendi ex Jure Civ. remisive n. 51. Jus ad rem ex quo obligationes n. 52. de contractu Empti. & Vendit. n. 53. 54. de Loc. & Cond. n. 55. 56. de stipulatione & fidejussione n. 57. 58. literat. obligat. n. 59. de Qu. contractibus n. 60. de delictis militum militaribus n. 61. communibus n. 62. de milite delinquente sub jurisdictione alius magistratus num ad suum Judicem militare remitti debeat agitur n. 63. & variis DD. sententiis relatis, quæ nostra sit sententia, & quid in Suecia & Pomerania obtineat docetur n. 64. usque ad 73.

- R**atione Objecti seu materiarum, i. e. causarum ad forum militare pertinentium generaliter notandum est, quod omnia negotia, quæ in vita communi occurrunt, sive ea sint civilia, sive criminalia ad forum militare pertineant, Königl. Schwed. Kriegs-Gerichte-Ordnung S. 12. Alle Sachen / welche sonst in gemeinen Leben und Wandel fürkommen und sich zurragen / es mögen dieselbe Civil oder Criminal seyn / gehören erstlich für das Unter-Gericht. add. der Röm. Käys. Mayst. und des H. R. Reichs. Bestall. sub rubr. Wie das Keurer-Recht gehalten werden soll / S. 17. Quæ tamen generalis assertio ita crudè non est accipienda, quasi nullæ plane militum causæ à jurisdictione militari sint exemptæ, sed quod regulam saltem confineat, quæ tamen suas habeat exceptiones.
- 3 Sic ad forum militare non pertinent, primò Causæ spirituales & Ecclesiasticæ, ut religionem, cultum divinum, Pastores eorumque doctrinam, officium & vitam, vocationem & remotionem concernentes, legata ad pias causas, causæ matrimoniales & aliæ. Vid. Pomm. Kirch. Ordn. P. 3. f. 32. ed. in 4. Consst. Instr. P. 2. S. 1. seqq. Schwed. Kirch. Ordn. c. 15. & adj. Ord. wie es mit dem Verichin. Proceß bey denem
- 4 Thum. Capituln soll gehalten werden. Equidem quod causas matrimoniales in specie concernit, eas quoque ad forum suum trahere student milites nostri, fundantes se partim in generali regula, partim quia in Ordin. Eccles. Svet. d. c. 15.

d. c. 19. §. 1. n. 3. dicitur, quod si controversia oriatur de
 ipsis sponfalibus, munusculis & donis, causa ad seculare
 iudicium pertinere debeat, proindeq; & ad forum mili-
 tare, cum hoc iudicium ad observantiam d. Ord. Eccl.
 obstrictum sit. Enim vero quemadmodum in genere §
 observandum est, quod *Consistoria in Svecia* hoc peculiare
 habeant, ut solis consent personis ecclesiasticis, Vid.
en. Ordin. wie es mit dem Ger. Process &c. in pr & licet aliquando
 deliberatio fuerit instituta, de adjungendis Politicis,
 antiqvam tamen faciem retinuerint; Ita non mirari
 debemus, si *Ord. Eccl. Svec.* non adeo difficilis est, ob pun-
 ctum in causa ecclesiastica incidens, istud ad seculare
 remittere iudicium. *v. gr. Ord. ista Eccles. d. c. 15. §. 14.*
 disponit, si quis stupraverit virginem, quod eam ducere
 debeat, si vero neget promissionem, ad iudicium secu-
 lare remittendus sit, ut ibi debito modo se purget aut
 liberet, quod non fit in nostris Consistoriis, quibus
 Theologi pariter & Jcti adsident, sed ibi quoq; negans,
 ratione circumstantiarum se purgare tenetur. *Duplex* 6
 enim est *consideratio matrimonii*, altera, quatenus illud con-
 scientias obstringit, & verbo divino descriptum &
 determinatum invenitur: altera, quatenus juxta leges
 Civiles, ordinationes & praxin expenditur, inde ob
mixturam Theologicæ pariter ac Politicæ consideratio-
 nis, commodissimè causæ istæ matrimoniales in Con-
 sistoriis tractantur. Deinde regulâ generali supra 7
 posita nihil efficitur, quia ab ea excipiendæ sunt *causæ*
Consistoriales, vid. *art. 19. Schwed. Ritegs. Artikel* / quæ coram
 Consistorio militari castrensi, & in defectu ejus, in ordi-
 nario Provinciæ Consistorio judicandæ sunt, è quarum
 numero nemo *causæ matrimoniales* apud nos excipit, idq; 8
 D ulte-

Alterius declarat Resol. Reg. d. Holmie d. 30. April. anno 1687.
 J. R. Mayr. Erklärung wegen der bey denen Regimentern im Her-
 zogthum Pommern fürkommenden Matrimonial- und Ehe- Sachen/
quam, cum etiam de consensu Praefectorum militum à quibusdam
militibus ad nuptias adhibendo agat, integram dabimus. Ihre
 Königl. Mayr. finden zu Erhaltung guter Ordnung nöthig; In Gna-
 den zu declariren / das keinen Unter- Officier oder gemeinen Knechten/
 unter Ihre Königl. Mayr. in Pommern jezo und künfftig befindl-
 chen Regimentern / hinführo jemahls zugelassen seyn solle/ sich mit einer
 Weibs- Person in ein Ehe- Verlöbniß einzulassen / ehe und bevor er sich
 deßfalls bey dem Obersten durch den Regiments- Priester und dazu ver-
 ordneten Officier angegeben / damit dieselben sich nach denen Personen
 und denen Umständen / so dabey nöthig sind / genau erkündigen / und
 folgendts das Verlöbniß in deren Gegenwart verrichtet werden könne/
 und ist Ihre Königl. Mayr. erster Befehl / daß nach diesen die Ver-
 löbniß auf keine andere Weise geschehen / und für rechtmäßig und gültig
 gehalten werden sollen / zu welchem Ende diese Verordnung / so wie in
 dergleichen Vorfallenheiten üblich publiciret werden maß / (*quod &*
factum à Regimine Illustr. Seditenti & renov. per publicum Edictum
d. 23. Febr. 1696.) damit niemand einige Unwissenheit vorschütten
 möge. Wie dann hiedurch auch allen Predigern in Städten und auf
 dem Lande ernstlich unbey Straffe verböhren wird/ niemand von denen/
 so unter die Pommerische Regimente gehören / ohne Vorwissen des
 Obersten zu copuliren. Und weilen sich auch öftters zuträger / das
 einige leichtsinnige Personen / nachdem sie miteinander ordentlich ver-
 lobet seyn / ohne genugsame und rechtmäßige Ursachen sachen solche Ehe
 zu brechen / und dieselbe keines weges durch die Copulation und das
 Kirchh. Band vollentzehen wollen / welche doch an sich gültig ist / und
 nicht ohne Straffe gerennet werden solte; Als verordnen J. R. M-
 hiedurch ebenfalls gnädigt. daß wann dergleichen sich zutrüge / alsdant
 das Königl. Consistorium oder künfftig bestellende Feld-
 Consistorium, solches bey dem Obersten / oder dem / welcher in
 dessen Abwesenheit das Commando führet / angeben solle / der darauf
 den Schuldigen sofort in Hafft nehmen / und wenn derselbe nach Ver-
 lauff eines Monats / in welcher Zeit er mit Wasser und Brodt gespe-
 set

set wird / sich keines bessern bedencken / und die rechtmäßig angefangene Ehe nicht vollziehen wolle / also dann für das Krieges. Gericht stellen lassen / und daselbst / nachdem zuvor des Consistorii Bedencken über die Beschaffenheit der Ehe-Verlöbniß eingeholet worden / zu einer solchen Straffe verurtheilet werden soll / als die Umstände / die Personen / und das Verbrechen ersodern. Wornach sich alle und jede re.

CAROLUS.

J. E. BERGENHELM.

Ex qua Constitutione regia apparet, causam etiam sponsaliorum in Pomerania non pertinere ad iudicium militare, sed ad Consistorium ordinarium, aut aliquando instituendum Consistorium castrense, poena saltem in refractarios, expetito prius iudicio Consistorii, Judici militari, tanquam magistratui seculari, reservata. Pro-
batur nostra sententia ulterius alia regia Constitutione, Topolnowiensi Jhr. Königl. Maytt. Verordn. die Consistorial-Kirchen- und Schul-Sachen betreffend de dato im Haupt-Quartier Topolnow / d. 20. Nov. 1703. ubi § 16. ita disponitur. Wann auch geklaget worden / daß Jhr. Königl. Maytt. Militair- Bediente im dortigen Herzogthum vor dem Consistorio in Consistorial- Sachen und Angelegenheiten zu erscheinen und zu pariren sich weigern sollen / die Krieges- Gerichte auch nicht exequiren wollen / was von dem Consistorio geurtheilet worden: item wenn Militair- Bediente / als Zeugen vor dem Consistorio gefodert werden / wollen die Officirer solches nicht zugeben und verstarren / da doch Bürger und andere Standes- Personen sich nicht entziehen mögen / vor dem Krieges- Gerichten in dergleichen Fällen / auf Anfordern zu erscheinen / und der Justice dadurch kein geringer Zwang wiederfähret / als wollen Jhro Königl. Maytt. hienit in Gnaden verordnet / und der Königl. Regierung zu publicirung gnädigst anbefohlen haben / daß hinkünftig Militair- Bediente keines weges sich weigern und entziehen mögen / bey oberführten / und zu etnem geistlichen Gerichte eigentlich gehörigen Zufällen vor dem Consistorio zu erscheinen / noch weniger sollen die Krieges- Gerichte verweigern / sothane / des
D 2
Consi.

Consistorii gesprochene Urtheil zu exequiren / oder die Officirer sich
 unterstehen / Ihre Untergebene zu verbieten oder zu verweigern beynt
 Consistorio auf Beyhren Zeugniß abzulegen. Quis vero negabit
 causam matrimonialem apud nos Consistorialem esse ?
 & tamen in dicta Ordinatione regia expresse militibus
 injungitur, ut in causis Consistorialibus jurisdictionem Con-
 sistorii agnoscere, citati comparere, quæque judicata
 10 sunt, judicium militare exequi debeat. Quæ Resolu-
 tiones regie non tantum Ordinatione Eccl. Suetica posteriores,
 sed & speciatim statui Ducatus nostri accommodatæ
 sunt, quibus proinde Illustre Regimen ad instantiam
 Subdelegatorum Consistorialium Sedinensium congruenter decre-
 11 vit, ut *Anton Schade* / è numero militie armamentariae seu
 tormentariae, in puncto stupri sub spe matrimonii à stuprata con-
 ventus, coram Consistorio subdelegato se sifteret *Menf. Sept 1712.*
 & in simili casu ita resp. *Dn. Wittebergenses apud Ziegl. de Jur.*
 12 *Maj. L. 1. c. 29. §. 36.* Frustra itaque præsidium in allegata
Ord. Eccl. Svec. quæritur, quæ præterea *cit. loc.* non nisi
 controversiam & examen facti continet, quod & laicus
 in matrimonialibus habere potest, *Covarr. de Spons. §.*
Matr. P. 2. c. 8. §. 12. n. 3. citra facultatem decidendi & pro-
 nuntiandi de stabilitate sponsaliorum consumandoque
 matrimonio, aut de eorum inefficacia & dissolutione,
 prout ex iis capitibus quæ decisioni Consistorii Svecici
 in causis matrimonialibus relicta sunt, satis apparet,
 similique modo in ditionibus Regis Borussiae ex edicto d. 17. Junii
 13 1705. proceditur. Sane si de pœna stupratori aut adultero
 infligenda agatur, quin judicium militare juxta arti-
 culos eam reo imponere possit, non dubitatur, utpote
 quæ magistratui seculari reservata, *Instr. Conf. P. 2. §. 10.*
 & cum causâ, quam tractat Consistorium, perperam
 confun-

confunditur. *Quemadmodum Consistorium militare* 14
castrense in terris Regis Borissie formari & quænam causæ
ad id iudicium pertinere debeant, inter quas præcipuè
matrimoniales referuntur, id ex peculiari edicto d. 29.
April. 1711. aliisque eo spectantibus constitutionibus legere
licet, quas exhibet Stryk. in Us. Mod. ad tit. ff. de R. M. §. 2.
Quapropter verè dixit Ziegl. cit. loc. §. 35. in causis matrimo- 15
nialibus non satis conveniens videtur iudicium militare, quod
causæ ejusmodi conscientias sæpe afficiant, & ad eas dijudicandas,
requirantur homines in jure divino & Ecclesiastico probe exerci-
tati: ut maxime igitur miles forum suum militare & privile-
giatum habeat, in causa tamen matrimoniali ad id provocare non
poterit, sed necesse est Consistoriorum sententiam expectet, quo-
rum proinde cognitionem nequaquam sufflaminare licet Ducibus
& Officialibus. Secundo ad fori militaris jurisdictionem 16
non pertinent bona militis immobilia sub alia jurisdic-
tionem sita, idque non tantum ex jure Communi, quo quis 17
forum sortitur ratione rei sitæ, L. 38. in f. de judic. L. f. C.
ubi in rem act. ad quam magis respectus habetur quam ad
personam, Franzk. ad tit. ff. de jud. n. 48. licet alias persona
à jurisdictione seculari sit exempta, ut Clericus c. 5. X. de
F. Comp. c. 1. de privil. in 6. Carpz. L. 3. Cons. d. 7. sed ex speciali 18
Provinciae jure, ita enim dispositum legimus in Jhr. Kénigt.
Mayr. Placat wegen Verhaltung dero Milice in Pomern §. Endlich)
wann sich beglebet / daß Officirer durch Heyrath / Erbschafft / Kauff /
oder sonst in den Stådten und dero Vormåßigkeit Immobilia erlan-
gen / dieselbe bewohnen und vor sich nutzen und gebrauchen wollen /
sollen sie der Stadt mit bürgerlichen Pflichten sich verwand machen /
sonsten aber wegen solcher unbeweglichen Güter / bürgerliche Onera
und Unpflichten / wie auch Land- / Reichs- und Crayß- Steuern gleich
andern tragen / auch deswegen die jurisdiction des Orts / ihrer per-
sonal- Exemption, so lange sie in weltlichen Diensten sich befinden /

- an præjudiciali agnoscere und daselbst Meckrens gewärtig seyn.
- 19 Proinde nec Centurio Dn. Rand ratione ædium, quas cum uxore acceperat, à jurisdictione Senatus urbani Gryvhiswaldensis se eximere potuit, privilegium fori
- 20 sui militaris frustra allegans. Quod vero de bonis imobilibus militum sub jurisdictione Civitatenſi fitis dictum, id ex identitate rationis etiam de aliis bonis eorum imobilibus extra eam intelligendum est, ut actione reali conventi, in Regio Dicaſterio respondere, oneraq; eis imposita, præstationesqve solvere teneantur. Personali vero actione non in foro rei sitæ, sed domicilii & in foro militari conveniendus est miles. Vid. *Mev. P. 4. D. 255.*
- 21 *Lyncker. Decis. 126.* Tertio ad forum nostrum militare non spectant causæ feudales. Hæ enim, quemadmodum habent jure Communi feudali proprium suum forum, ut Dominus directus sit judex, quando controversia feudalis inter plures est Convafallos *II. F. 55. §. f.* vel Pares Curia, si inter Dominum & Vasallum *lis fit II. F. 16.* à quo foro nec milites cœlestis militiae sunt exempti, si sub qualitate Vasalli in causa feudali conveniuntur, *Cap. 6. X. d. F. Comp.* nec ubique locorum hoc judicium parium est abrogatum, *Tornov. de Feud. Meckl. P. Post. c. 6. §. 21.*
- 22 *Coccej. in disſ. de Prob. Feud. c. 4. §. 4.* ita apud nos in Pomerania judicium parium non est in usu, sed causæ feudales ad Cancellariam feudalem pertinent, quæ quidem per se à Regimine est distincta, subest tamen nihilominus directioni Gubernatoris Generalis, & milites, si feuda possideant, ratione contractus feudalis, feloniam aliorumq; ibi conveniri aut agere debent, aut si causa Dominum simul concernat, Acta ad extraneum transmitti
- 23 solent judicem. Quæ itaque causæ ob naturam & qualitatem

litatem suam peculiare non exigunt forum, illæ omnes
 ad iudicium militare spectant, sive *Civiles*, sive *Criminales*
 fuerint, sive ex *negotiis inter vivos*, sive *inter mortuos*, lis
 oriatur, ad quas ultimas causas pertinent etiam *testa-*
menta militum, de quibus *DD. ad tit. 7. ff. C. d. Test. mil.*
 Cumque de his in *jure Svecano* peculiaria statuta non sint, 24
 iudicium militare apud nos circa testamenta militum
 sequitur, quod aliàs circa testamenta *eo jure* introductum
 est, ut nempe testator, sive nuncupative sive inscriptis
 testari velit, *duos aut tres fide dignos adhibeat testes*, qui de
 seria voluntate testatoris testimonium perhibere possint
 vid. *Edict. Svec. de Testamentis d. no. 1686. §. 9.* Illud saltem 25
 testamento militis datum est, ut si hoc à Juridico mili-
 tari, dem General Auditeur, subscriptum fuerit, magis
 validum tum esse & certo certius servari debeat. *Gen.*
Aud. instr. §. 3. Cum vero, quando miles est in expedi- 26
 tione, contingere possit, ut *duo testes*, qui ultimam suam
 voluntatem exaudiant, non sint in promptu, etiam absq;
 testibus heredem sibi scribere, & quæ post mortem fieri
 velit valide disponere potest, *arg. d. §. 9.* Sic etiam ad 27
 forum militare pertinet cognitio & decisio, quando mi-
 liti non ex testamento, sed *ad intestato* succeditur, ortâ
 eo nomine controversia. Utroque vero casu, sive 28
 miles testamentum fecit sive non, Sereniss. Rex Sveciæ
 peculiari *Constitutione edita in castris Pinsk. d. 21. May 1706.*
 disposuit, ut milite defuncto, de ejus bonis repertorium
 sive inventarium in præsentia summi Juridici militaris
 & Fiscalis confici debeat, quo creditoribus & heredibus
 defuncti ex eis satisfiat, accipiantque quæ eis juxta leges
 debentur. Hoc ex privilegio habent milites, ut si here- 29
 ditatem, non confecto inventario, adierint, *ultra tamen*
11012

- Non teneantur quam in hereditate invenerunt, quod in Paganis fecus est, quicquid quoque nonnulli Doctores contra
- 30 sentiant, quasi per *Nov. l. c. 4. §. 2.* aliud sit statutum, ut nimirum homines militares, si inventarium non con-
- 31 fecerint, indefinitè ad onera hereditaria teneantur. Si quidem juxta *Cujac. §. 2. d. Nov.* non pertinet ad totam præcedentem Constitutionem, sed ad pœnas non observatæ voluntatis: deinde in tota *Nov.* non continetur dispositio de obligando herede, si inventarium conficere intermiserit, ultra vires hereditatis, sed tantum de
- 33 omittenda hoc casu *Falcidia*. Quamvis ergo & hoc largiri velimus, quod & miles dicto casu privationi *Falcidiæ* sit subjectus, malè tamen inde colligitur *Constit. Imp. Justin. l. f. §. C. de jur. deliber. per d. Nov.* correctam esse. Nam in quo id, quod in *d. l. f.* dispositum, non reperitur correctum, ibi consistet prior illa expressa de militis privilegio *Constitutio*, cum à lucro ad damnum nulla, præsertim in correctoriis, valeat argumentatio, cum illud auferrè tolerabilius, quam hoc irrogari, ratio quoque, quæ militaris hujus privilegii fuit, nempe simplicitas & ignorantia juris, adhuc daret: *Fr. Balduin. in Justin. l. 4. p. m. 397. Nov. Consil. 31. n. 52. seqq.* Ad negotia inter vivos pertinent quæstiones ex jure personarum ortæ, quæ pariter in foro nostro militari discutiendæ sunt.
- 35 Quo spectat quæstio de statu militari, quando persona legi in militem invito Domino non potuit, aut si libera quidem persona, sed violenter, dolose, & illegitimo modo in militem collecta est. Proprios nostros homines in militiam legi non posse, sed dominis repetentibus sine mora reddendos esse, supra *cap. 2. n. 5.* jam diximus. In *Svevia* vero, cum omnes nunc liberi nascentur teste, *Mich. Wexio-*

Wexionio in brevi Ifag. ad stud. Jur. Civ. Sveco-Rom. Disp. 2. §. 11. Conf. Striernböck de Jure Sveon. & Gotb. vet. L. 2. c. 4. Locc. insynop. jur. priv. Disp. 2. §. 5. & seqq. talis revocatio locum non habebit. Quando vero liber homo legitimè in militem lectus & conscriptus dicitur ab officiali militari, altera pars vero negat, cognitio & decisio causæ pertinet ad judicium militare, ut tamen magistrat9 negantis, cognitioni causæ per deputatos adfistere, & necessaria circa processum & causam monere possit, voto tamen decisivo non gaudens, quemadmodum Rex Svecie in Resolutione ad Gravamina Statuum Pomerania d. 24. Dec. 1684. constituit §. 5. his verbis: Zu Vorbeugung des Mißbrauchs bey den Recruit- Werbungen / und daher entstehenden Plaintes, haben Ihre Königl. Mayest. gur befunden / und vrororden hiemit gnädigst / daß es hinfuro damit dergestalt gehalten werden soll / daß / wo ein Würger über einen Soldaten klaget / war ein ordentliches Krieges-Gerichte gehalten / einige aber von der Stadt Depuirren / jedoch sine voto, dem gangen Proceß mit beywohnen / und dafern darin pecciret werde / die Nothdurfft zu erinnern Zug und Wacht haben sollen / welches dann vice versa ebenfalls auf der Rath-Stuben also soll gehalten werden / wann jemand von der Milice Actor seyn würde. Was nun solcher gestalt näch vorher gegangener Untersuchung und Erwegung aller und jeder Umstände gesprochen und abgeurteilt worden / solches soll auch durch eine ernsthafte und prompte Execution zu Veret gerichtet werden / und wie einer seits über den Verbrecher die erkandte Straffe ergehen muß / also ist auch andern theils billig / daß / wann ohne Noth geklaget wird / der unbefugte Kläger / so in probatione succumbiret / mit gleicher Straffe belegen werde / als sonst den dertentge / so angeklaget worden / im Fall er schuldig gewesen / würde verdener haben. Hierbey ist dieses für gur befunden worden / daß die quæstionirte Knechte / absonderlich was Handwerker seyn / unter des Magistrats Bewahrung zu lassen / es müste aber derselbe für jeden Mann eine gewisse Summam, als etwa 15. Rthl. / zur Caution setzen / damit der Officirer / wann ante cognitionem causæ der Knechte entweichen solte / dadurch Schadlos gehalten

gehalten würde. Indessen soll der Verbot aller Zwang-Verbungen
 vornemlich der hereinkommenden Handwerker, Gesellen und Dienst-
 borhen durch ein gedrucktes Patent öffentlich von den Cancellen publi-
 ciret / auch an die Stadt, Thore und Land-Krüge affigiret / und dasert
 jemand dawieder bereiten würde / derselbe dafür ernstlich angesehen
 werden / *quale & Edictum à Regimine Illustr. publicatum*

38 d. 20. Mart. 1685. & seqq. annis. Cum vero *Nobilium*
& Civitatensum de illegitima prohibitaque tot edictis
 conqvisione militum non cessarent *qverela*, additis aliis
 de insigni detrimento, qvod tota inde acciperet pro-
 vincia, si malo non occurreretur, deqve justitia parum
 administrata, qvam qvoqve in tali causa à militibus
 sibi promittere non possent, cum ea partim *commoda Con-*
tractus officialium militarium concerneret, vilissimo
 saepe, imo fere nullo, pretio dato homines ad militiam
 cogentium, cum tamen à Rege ad supplementa copia-
 rum ritè curanda nummos acciperent sufficientes; par-
 tim *incommoda delicti* ipsos Officiales tangerent, pœna
 arbitraria statuta in eos, qvi violento & prohibito modo
 milites colligerent, indeq; judicium militare pro Judice
 in propria causa habendum esse, ideo *Illustr. Regimen*
Pomeranicum, re bene considerata & perpenfa, constituit,
 ut lites de conqvisione militum violenta, in posterum
 à Regimine cognoscerentur, & vigore juris, æqvitatís
 & constitutionum in eam rem editarum, deciderentur,
 qvod placitum Regiminis Gubernatoris Generalis &
 Supremi belli Ducis nomine, omnibus Legionum
 Ductoribus & Officialibus communicatum & *Resul-*
 39 *tatum* appellatum est, hujus tenoris: Sr. Hoch-Gräffl.
 Excellenz des Herrn General Gouverneurs in Collegio Regiminis
 genossins Entschliessung in puncto der Zwang-Verbung. Nachdem
 bey meiner Rückkunft aus den Nieder-Sächsischen Quartieren viel-
 sältige

schätze Klagen angebracht / das bey den Werbungen hier ten Lande zu
 scharff verfahren / keine Justitz administrirer / und dadurch sowol auf
 dem Lande als in Städten unbeschreiblicher Schaden bey den Einwoh-
 nern dieses Königl. Herzogthums veranfsacht worden / Ihre Königl.
 Mayer. aber nicht wenig daran gelegen / daß die Contribuenten ins
 Lande beyhalten / und sowol die Vauleure bey ihren Hefern / als auch
 die Handwerker und andere Personen in den Städten bey ihre Hand-
 schierung / Gewerh und Nahrung unmo'elirer gelassen / und zu folge
 deren zum östern publicirten Versicherungs-Patenten geschützet wer-
 den mögen. Dahero dann nöthig befunden / bey der Entscheidung
 solcher fürkommenden Fälle und differencen, worinnen die Officirer/
 weil sie interirer seyn / und Part nehmen / nicht fuglichen als Richter
 considerirer werden können / andere zureichende Anstalt zu machen /
 and denen zum Ruin und Verderb des Landes sonst gereichenden Exces-
 sen, möglichsst massen vorzubauen ; So soll hienegk / wann über
 Zwang Werbung weiter geklaget werden möchte / die Königl. Regle-
 rung cognosciren / der Unserthanen und Einwohner Gravamina sowol
 vom Lande / als in Städten / gebührend untersuchen / und dergestalt
 decidiren und verabschieden / wie es denen Rechten / der Billigkeit und
 denen unlängst publicirten Patenten zustimmig und gemess ist / gestalt
 die Officirer mittelst communicirung gegenwärtigen Resultats, abson-
 derlich bedeytet werden sollen / sich mit solchen Auspruch zu befre-
 digen / niemand dawieder zu beschweren / sondern dergleichen tempe-
 ramenta gewertig zu seyn / daß / wann zu Ihre Königl. Mayer. Dienst
 und completirung der Compagnien Leute aufzusuchen nöthig seyn
 dürffte / die Regierung ihnen darunter / so welt es salva justitia und
 ohne Ruin des Landmanns sowol / als der Städte Einwohner geschehen
 kan / gerne fugen / und die Anwerbung / nach aller Möglichskeit / faci-
 litiren zu helfen sich angelegen seyn lassen werde. Signacum Sternin/
 d. 10. Decembr. 1689. Quo Regiminis Conclusio sive Pla- 40
 cito qverelis statuum finis impositus, multisqve varii
 ordinis hominibus, obtorto qvafi collo ad militiam tra-
 ctis, salutariter subventum, & ab Illustriss. Regimine per
 multos annos in istis causis judicatum est. Quia vero 41
 E 2 superi-

superiorum ordinum Ductores & Officiales è re sua esse existimarent, abrogari hoc placitum, sibiqve facultatem judicandi reddi, ideo *Dn. Schultz t. v. Legionis pedestris & urbis Sundensis praefectus* Regem in Saxonia subsistentem eo nomine adiit, obtinuitqve *Resolutionem datam Ab-Ratho Stadii d. 13. Junii 1707.*, ut causæ conquisitionum violentarum in posterum non amplius à Regimine, sed in iudicio militari ab ipsis judicarentur militibus, juxta normam in *Anno 1684.* praescriptam, quâ & adhuc hodie

42 in hujusmodi causis procedi solet. Ad *Jus personarum* spectat quoque cognitio *de filiatione*, & quinam liberi legitimi, & quinam legitimati, hoc circa *legitimationem* observandum, ut si quis à S. R. M. honorifico Ducis, Tribuni, aut Centurionis officio exornatus sit, eo ipso natalibus restitutus & legitimatus dicendus sit, dum enim hæc munera non nisi honestis & legitime natis conferri solent, Rex hujusmodi dignitatem conferendo, tacite quoque voluisse credendus sit legitimus,

43 *Wexion. c. l. §. 28. inf. Loccen. Ex. 3. §. 13.* Judicat quoque *Judex militaris de alimentatione* liberorum naturalium, quos uterque parens alere tenentur in id usque tempus, donec sibi metipsis de alimentis prospicere possunt, sine determinatione annorum, quantitate alimentorum secundum personarum qualitatem constituenda *C. 18.*

44 *von Ehe. Sachen LL. ibique Not.* Pertinet huc etiam *adoptio*, *unio prolium*, nec minus modi solvendi patriam potestatem, v. g. dignitas publica, matrimonium ac separata æconomia moribus & LL. Regni Svecici

45 teste *Loccen. in Synops. jur. Priv. Svec. diff. 2. §. f.* Tutela quoque sive testamentaria sive legitima aut dativa, ad iudiciū militaris objectum referri possunt. *Equidem Jure*

Jure Romano miles armatæ militiæ, qui actu militat, ne volens quidem ad tutelam admittendus est *L. 4. C. q. jur. tut.* ne armis occupatus à signis & numeris, quibus jugiter inhærere debet, avocetur, nec Rempubl. à qua alitur, defendere negligat, *L. 31. C. Loc. vid. DD. ad §. 14. jnst. d. Excus. Tut.* jure tamen *Svecano* talis prohibitio militibus facta non legitur, hinc & miles tutor intestamento, vel ut proximus consanguineus, aut à Magistratu dari poterit, militesque commilitonum suorum defunctorum liberorum tutelam gerere & administrare experientia docet, saltem quod inviti & eo jure ad tutelam suscipiendam superiores ordinum militarium Ductores cogendi non videantur, sed semet ab ea excusare possint, *arg. art. 32. Const. R. de Tutorib.* quemadmodum & ob alias communes *eo jure* excusationum causas v. g. ab ætatem sexagenariam, aut 25. annis minorem, propriorum liberorum multitudinem, paupertatem gravem, inimicitiam &c. onus tutelæ deprecari quis potest. *d. art. 32.* Cæterum tutela *pubertate* finitur & sui sit juris quando *annum implevit decimum quintum*, jus enim *Sveticum* ignorat Curatelam Jure Rom. receptam. *Loccen. dis. IV. syn. §. 25.* Et licet eâ ætate debite rebus suis nondum præesse, nec bona sua administrare possit, tamen pubere postulante à *tutoria* potestate & administratione solvendus est, forte quod dicta ætate ad militiam habilis, Regiis præstare possit servitia *cap. 21. de jur. Reg. EE.* nisi parentes in testamento disposuerint, ut liberi eorum etiam post illud tempus in tutela manere debeant, tunc enim in honorem & existimationem parentum suprema eorum voluntas servanda erit. *d. Const. R. §. 36.* Jus rerum quoque in judicium militare cadit. Est

- vel *Jus in re* vel *ad rem*. *Illud* acquiritur *Jure Gentium* vel *Jure Civili*. Ad modum acquirendi ex *Jure Gentium* pertinet *occupatio*, *traditio*, *vid. Wexion. d. l. §. 18. seqq.* *Occupatio* vel est *hominum* vel *aliarum rerum hostilium* bello captarum, de quibus dispositum est in *art. milit. Spec. art. 119. seqq.*
- 50 vel est *occupatio animalium* quæ ferocem naturam habent, quo spectat *venatio*, *aucupium*, *piscatio*, *jure* quidem Romano cuivis permessa, *jure* tamen *Svetico* in alieno prohibita, & specialibus *Provinciae nostræ LL.* omnibus militibus cujuscunq; ordinis expressè sub *arbitraria poena* interdicta, ut *Actor Regis publicus* milites *venantes* *aucupantes* & *piscantes* in alienis tanquam *transgressores Constitutionum Regiarum* convenire possit. *Vid. Placat wegen Verh. der Mähler in Pom. J. s. Pom. Pol. Ord. c. 20. §. anlangend. Jagd-Ordn. t. 9. §. 9. de mansuetorum animalium aliarumque rerum inanimatarum inventione art. mil. 106. agit.*
- 51 Ad modum acquirendi ex *Jure Civili* refertur, v. gr. *Usucapio*, *donatio*, de quibus *Loecen. in Synops. J. Priv. Disf. s. 6. & 7.* modum acquirendi per *universitatem*, ex
- 52 *testamento* vel ab *Intestato*, supra tetigimus. Ex *Jure ad rem* nascuntur *obligationes*, quæ descendunt vel ex *facto licito*, vel *illicito*: ibi, maximè ex *contractibus*, vel *veris*, vel *quasi contractibus*. *Isti vel reales*, ut *mutuum*, *commodatum*, *depositum*, *pignus*, qui dicuntur *reales*, quia præter *consensum* in omnibus *contractibus* necessarium, ad sui *perfectionem* pro *forma rei*, *traditionem* requirunt: vel *consensuales*, qui ob *summam* in *vita humana utilitatem* ex cæteris selecti, ut *consensu* perficerentur, ut *emptio*, *venditio*, *Locatio - conductio*, *Societas*, *mandatum*.
- 53 Equidem quod *emptionem* & *venditionem* concernit, *militæ* *Jure Romano* in ea *Provincia*, in qua actu *militant*, *prædia*

prædia comparare prohibentur, ne studio agriculturæ
 militiâ avocentur, agros vero in alia Provincia, ut &
 domum, emere ipsis est permiffum *L. 9. & 13. ff. d. R. mil.*
Nostros milites immobilia in Provincia in qua militant
 comparare posse, quotidia docet experientia, domos
 quoque in urbibus, ut tamen ratione ædium, indeque
 onerum, aliorumque præstandorum nomine, jurisdicti-
 oni Magistratus sint subjeçti, mercatura tamen omni-
 alio quæstu civico abstineant, *Plac. weg. Berh. der mil. in Pom.*
§. 8. & 12. Istud speciale quoque est in militibus, ut licet 54
 regulariter aliena pecunia emptum, non fiat ejus, ad
 quem nummi pertinent, sed emptoris suo nomine emen-
 tis, *L. 6. C. de R. V. L. 8. Si quis alt. vel sb. f. alt. nom.* in militi-
 bustamen aliter se habeat, ut si quis suo nomine, militis
 tamen pecunia, quædam comparavit, hic habeat eo
 nomine utilem Rei vind. *L. 9. C. de R. V. Burg. Cent. III.*
O. 14. Quemadmodum vero emptio & venditio suo 55
 modo interdicta erat militibus Romanis, ita eisdem
 nec *Conductio* permiffa, sed sub pœna infamiæ prohibita,
 ne vel omisso armorum usu ad opus rurestre se con-
 ferrent, aut vicinis graves præsumptione cinguli mili-
 taris existerent, *L. 31. C. Loc. & L. f. ibid.* militi tamen
 quasi pagano ignoranter facta locatio subsistebat, *L. 50.*
ff. Loc. prædia vero urbana domos & stabula militibus
 conducere non prohibitum, *Glossa ad d. l. 31. & Brunnem.*
ibid. Imo quæstionem generalem, an milites prohibe- 56
 antur conducere hodie, otiosam esse asserit, *Stryk. in U. M.*
tit. Loc. §. 53. cum experientia testetur contrarium Juri
 Civili observari, *Hahn. ad Wes. tit. Locat. n. 2.* moresque
 Constitutiones Impp. non recepisse cum plurimis citatis
asserit Wisenb. ad cit. L. f. C. locat. Si quidem militum
 nostro-

nostrorum alia ratio atq; conditio quam tempore Justiniani. Hinc contractum locationis cum milite celebrans, frustra ei postmodum opponit *ex cit. L. f. infamiam*, quin potius eo nomine militi agenti respondere teneatur, *Lyncker. discept. For. Ref. 688. Contractus verbalis stipulatio*, tum in se, tum in accessoria *Fidejussione*, pertinet ad objectum iudicii militaris. Licet enim in stipulatione solennitates quales Jus Romanum requirit, apud milites nostros non sint in usu, non tamen plane sunt incognitæ stipulationes, quorum usus in sponsonibus quam maxime elucescit, *Wexion. c. l. coroll. 1. Disp. 4. & Schultz. in Synops. Inst. p. m. 329. Jure Civili Fidejussores pro alio milites esse prohibentur, L. 31. C. Locat. quod & adhuc hodie in nostris obtinere militibus multi affirmant, & ita iudicatum in Frisia refert Sand. L. 3. tit. 10. d. 1. quamquam alii contrarium asserant, hinc & svadet Stryk. in U. M. tit. de Fidej. §. 3. ut à milite fidejubente renuntiatio d. l. 31. C. exigatur, vid. Mollenbec. ad Laut. tit. de Fidejuss. n. 14. Sed quicquid sit, non tantum Jure Civili in rem suam miles fidejubere poterat, L. 8. §. 1. q. Satisd. cog. Sed & pro com-militonibus suis L. 8. §. 2. ff. de Procur. Hering. de Fidejuss. c. 7. n. 166. sed & eo jure, quo Svecici milites reguntur, nullibi prohibitum est, ne fidejussores sint, ideoque recte in foro militari eo nomine conveniri possunt, ut fidem suam, pro principali interpositam, liberent, sive fidejussio veniat ex contractu, sive ex delicto, modo hoc pecuniariam persequutionem admittat, ante debitorem Principalem excussum tamen non conveniendus est miles per *Const. Reg. de Execut. §. 20. quod Jure Svecico alias dubium erat per Cap. 12. tit. de mercandi jur. LL. C. 8. eod.**

59 *St L. Loccen. in Synops. p. 488. Ex literarum obligatione conventus*

ventus miles, quando spe numerandæ pecuniæ scripsit
chirographum, qva confiterur se pecuniam accepisse,
in foro militari respondere tenetur, ut tamen habeat
exceptionem N. N. P. non biennalem, sed moribus Sve-
ticis perpetuam, *Locc. d. l. p. 31. Ex quasi Contractu Negot.* 60
Gest. administrationis tutelæ, communionis heredi-
tatis ejusque aditionis, solutionis indebiti, miles in foro
militari conveniendus est, *Wexio. c. l. Disp. 4. §. 37. seqq.*
Quod factum militum illicitum, sive eorum delicta concer- 61
nit, quibus judicio militari multum negotii contrahi-
tur, ista commode dividi possunt, in militaria, & non mili-
taria, sive communia cum aliis non-militibus, inde &
persequutio militarium delictorum propria, aut com-
munis est, & huc pertinet DD. quorundam assertum: in
delictis non militaribus, pœnas obtinere communes, in
militibus quoque, v. gr. relegationem, fustigationem,
verum quia hæc pœna infamat, infamis vero amplius
miles esse non possit, art. Milit. Svet. 142. Hoyer in C. J. Mil. p.
223. hinc in aliam istis similem comutari solet, in fustiga-
tionem per milites faciendam, Spiessutheo / Gassen / aussen /
Relegationem vero in Schtessung an den Pfahl / Lyncker.
Decis. 196. Delictum militare est, quod quis uti miles ad-
mittit, seu, ut Arius Menander ait, omne delictum est mili-
tis, quod aliter, quam disciplina communis exigit, com-
mittitur, L. 2. §. 6. pr. ff. d. R. M. Peccata Castrensia
appellantur Uopisco in Aurelian. Cap. 7. Hic, (Aurelianus)
inquiens, militibus ita timori fuit, ut sub eo, postea-
quam semel cum ingenti severitate, Castrensia peccata
correxit, nemo peccaverit. Ejusmodi delicta mili- 62
tum varia sunt, v. gr. Omnis contumacia erga Supe-
riorem, si miles sibi præposito manus intulerit, prior
ex acie

F

ex acie fugerit, commeatus spatium exceſſerit, ad opus
 privatum militem miſerit, ſtipendia aut annonam mili-
 tibus non ſolverit, aut non diſtribuerit, plures milites,
 quam habet, profeſſus fuerit, Unde gebrauchten / falſche Rollen
 machen / vociferatione & tumultu pecuniam ſi exegerit,
 querelis ſeditionem excitaverit, vallum tranſcenderit,
 aut per inſolita loca caſtra egreſſus aut ingreſſus fuerit,
 ſtationem deſeruerit, ab excubatione deſtiterit, aut
 in ea dormitaverit, arma ſua abjecerit, alienaverit,
 aliena ſurripuerit, ad hoſtem tranſfugerit, hoſti quæ-
 dam detexerit, aut proditionis perſonam induerit, equum
 ſi dolose corruperit, aut ſemetipſum membro mutila-
 verit, quo ad militiam fieret inhabilis, domumque re-
 vertendi nanciſcatur licentiam, hocque ſub pœna perpetui
 carceris, laborumque Marſtrandiensium prohibuit
Rex Sveciæ gl. mem. Conſtitutione edita Londini Sc. d. 9. Dec. 1717.
 & quæ alia adhuc ſunt delicta militaria, quæ enume-
 rantur partim in tit. ff. de R. M. partim in diverſorum Prin-
 cipum articulis militariis noſtrisque Svecicis, & diverſis coër-
 62 centur pœnis. Delicta militum communia v. gr. homici-
 dium, latrocinium, veneficium, ſtuprum ſimplex aut
 violentum, adulterium, inceſtus, Sodomia, incendium
 dolofum, rapina, furtum, injuria, duellum, de quibus
 eorumque pœnis in art. milit. Svec. 82. ſeqq. pariter ad
 forum militare noſtrum, vel infimum, vel ſummum,
 ratione qualitatis delicti & perſonarum delinquentium,
 vid. Keiſers, Gerichts, Ordnung S. 11. & ſeqq. omnino perti-
 63 nent. Iſtud vero heic in quæſtione eſt, utrum, ſi miles
 extra præſidium vel caſtra ſub alio magiſtratoſ jurisdictione
 delinquat, nihilominus cauſe cognitio & decifio ad iudicium milite-
 rare ſpectet, an vero ad magiſtratum loci ubi delictum eſt com-
 miſum.



missum? in diversas Doctores hic abeunt sententias, quidam distinguunt inter delicta communia, & ea quæ propria militibus, ut in his militem delinquentem ad suum magistratum militem remittendum statuunt, in communibus vero magistratum loci posse militem punire, cui sententiæ ad stipulatur *Burger. Obs. Mil. C. 4. O. 74. Struc. Exerc. 50. §. 42. Sand. L. 1. t. 1. d. 4.* Alii iterum circa delicta militum communia distinguunt, num ea leviora sint, & in his quidem Præsidentem Provinciæ habuisse cognitionem, coërcitionem vero competiisse Magistro militum, an enorme & grave fuerit delictum, & Præsidentem loci ubi crimen admissum & cognitionem & coërcitionem habuisse, quemadmodum post *Gloss. Joh. Faber. Erenkel. distinguunt ap. Ziegl. de Jur. Maj. L. 1. c. 29. §. 27.* Nonnulli interesse arbitrantur, an delictum commune procul à signis & castris fuerit commissum, & tunc Provinciæ Præsidentem, sive Magistratum loci ordinarium, non teneri remittere militem magistratui militari puniendum, quo referunt *L. 3. ff. de R. M. L. ult. ff. de Accus. L. 1. C. ad L. Corn. de Sic. L. 1. C. ubi de Cr. ag. op.* Si vero miles in castris degat, tunc extra castra apud Præsidentem Provinciæ, in qua delictum commissit, accusari non posse, quo nomine allegant *L. 1. C. de Off. Mag. Mil. L. pen. C. de Jurisd. L. 2. C. ubi quis de Cur. vel Coh. al. cond. conro. L. 1. C. de Exhib. reis Wissemb. in Cod. tit. de Off. Mag. Mil.* Quidam existimant frustra ex Jure Romano disputari, cum hodie in quibuscunque delictis militum remissiones ad magistratum militem usu Germaniæ obtineant, *Brunnem. ad L. 6. C. de Jurisd. omn. jud. n. 5. Stryk. ad Laut. tit. de jud. n. 120. ap. Mollenb. à quibus nec alienus est Lyncker. in Comm. ad tit. de judic. §. fin. & Dn. Schröter in Diss. de Auditorib. p. 51. qui provocat ad experientiam.* In tanta

opinionum diverfitate, si nostram quis expetat *sententiam*,
distinctim procedendum esse existimamus. Si enim de
Jure Civili Romano quærat, diversimode statutum fuisse
apparet ex legibus n. 66. allegatis, quibus invicem col-
latis, concludimus circa *tempora Antoninorum* Imp. mili-
tem sub Præside Provincia delinquentem ad magistra-
tum militarem non fuisse remissum, sed Præsidem ipsum
de eo supplicium sumpsisse, *L. 3. ff. de R. M. cum similibus.*
Post *tempora vero Constantini M.* sub Honorio & Theodosio,
Valentiniano & Gratiano & Valente Imp. Præsidem
Provincia de milite delinvente statuere non potuisse,
sed Magistro militum fuisse exhibendum, *L. 1. C. de Off.*
Mag. mil. cum aliis. Et licet Justinianus in *N. 3. c. 12.* ab eo
iterum recessisse videri possit, tamen non de militibus,
qui adhuc sunt in numeris, sed de veteranis intelligi
potest, qui in Provinciis erant, habebantque ibi prædia,
quales ratione delictorum aliorumque jurisdictioni admi-
nistratorum Provinciae subjecti erant; neque enim cor-
rectio juris præsumitur, cum multorum Principum
Const. modo memoratis, remissio ad Præfectum mili-
tarem stabilita sit, à quo jure, si recedere animus Imper-
atori fuisset, sine dubio, uti aliàs in ejusmodi legum
correctionibus ipsi moris esse solet, correctionis & abro-
gationis legum Antecessorū suorum mentionem fecis-
set. Si vero *questio formetur quid hodie juris sit in Imperio*
Romano-Germanico, an scil. Status Imperii militem in suo
territorio delinquentem ad Præfectum suum militarem
remittere teneantur, existimamus, eos ad id *præcise non teneri*,
cum remissiones delinquentium ab usu recesserint, &
frustra à quibusdam ad observantiam provocari, cum
non tantum prætensæ observantiæ aliam & contrariam
oppo-

opponere possimus, sed & perperam observantia ad-
 scribi, quod vel ex Civilitate, vel ex pacto fit, aut quod
 Princeps in suo territorio Magistratibus suis Civilibus
 injungere potest, ut milites delinquentes ad Praefectum
 suum remittant, id aliis extra territorium pariter se-
 quendum aut observandum esse frustra praetendi. Quo
 vero appareat usum universalem Germaniae & obser-
 vantiam nos non sine ratione in hac materia negare,
 videamus ipsum Imp. *Recessum Ratisbonensem de anno 1641.*
 In quo ita dispositum invenimus. Wir haben uns auch zu des-
 trehrer haltung guter disciplin, und damit das Ubel nicht ungestrafftes
 bleibe / mit Chur-Fürsten und Ständen / und der abwesenden Räten/
 Hochschaffren und Gesandten / und Sie hinstwieder mit uns verglichen/
 daß / wann der Delinquent z. Welle von seinen Quartier und Com-
 pagnia auf freyer Thar in straffmäßigen Verbrechen ergriffen wird/
 oder der Officirer gegenwärtig / oder nur drey Meil wegcs von dannen
 ist / und genugsame Versicherung thut / die Justitiam zu administriren/
 daß alsdann der Ubelhäter demselbigen abgefolget / wiedrigen falls aber
 die Stände nicht allein die Verhaffung vorzunehmen / sondern auch
 mit vorgehenden rechtlichen Proceß zu verfahren / und alsdann nicht
 weniger die Execution vorzunehmen Macht haben sollen / zu welchen
 Proceß gleichwol sie den neegsten Commandanten / wann der Befehle
 haben / zu dessen Regiment der Straffmäßige gehörig / über die drey
 Meil von der Stelle / ersodern / und ihm / daß er den Richten beywohnel
 frey stellen sollen / dabey wir aber diesen Fall vorbehalten haben wollen/
 daß / wann ein Soldat / so mit seinen Bileten gewisse Sachen zu ver-
 richten / versehen / etwas verbrochen thäre / und auf freyer Thar
 begriffen würde / wann es gleich weiter als drey Meil wegcs von seinen
 Quartier und Compagnia wäre / daß er doch seinen Obersten oder neeg-
 sten Ritteges Commandanten zur Bestraffung zugeschieket werde / und
 dieses / damit die Ritteges Anschläge / so manchen vertrauen / nicht offen-
 bar werden. Ex quibus verbis fit manifestum, remissionem
 militis delinquentis ad judicium suum militare non pro-
 misere

71 miscue obtinere, sed certo tantum modo, & ad ambitum
trium milliarium restrictam esse. In *Svecia* circa hunc
articulum *distinguitur*, aut miles tempore comæatus (*vid.*
L. 3. §. 7. & L. 14. pr. ff. d. R. M.) proprii sui commodi &
utilitatis gratia concessi, aliquid comisit, cujus nomine
vel ab alio in iudicium vocatur, aut ex officio accusatur,
& tunc Magistratus loci est iudex competens, nec mili-
tem delinquentem ad Legionem remittere tenetur, ut
tamen iudex in iudicando articulos militares observet,
& Centurionem vel Præfectum, cui subest miles, de tem-
pore iudicii habendi certiores faciat, quo ei interesse
& rei causam, quantum æquitas & iustitia permittit, de-
fendere possit. Aut literæ comæatus datæ ad Con-
quisitionem militum, aliamque publicam ob causam, &
tunc inquisitio quidem Magistratui loci, ubi delictum
commissum, concessa est, acta tamen inquisitionalia una
cum accusato ad Præfectum Legionis, vel ad eum, qui
militem misit, remittere tenetur, quo coram iudicio
militari causa dirimatur *per Const. R. de 24. Oct. 1690. add.*
alias d. 17. Aug. 1686. & d. 10. Mart. 1688. & d. 23. Febr. 1694.
In qua id non tantum in Legionibus Nationalibus, ut
appellant, seu Provincialibus, sed & in collectis are &
peregrinis idem obtinere debere statuitur. Quod mili-
72 tes nostros in *Pomerania Suecica* attinet, illi extra Præsi-
dium delinquentes in Provincia tamen, promiscue ad
magistratum militarem puniendi remittuntur, idque
observantia obtinuit, cum ob jus, quod in *Pomerania*
obtinere, diversum à *Suecico*, tum ob modum procedendi
in iudiciis alium, tum etiam ob torturam, cui aliquando
milites in *Germania* subjecti sunt, quod & in aliis *Ger-*
mania locis Dominationi *Suecica* Regni quondam sub-
jectis

jectis observatum est, & nosmetipsi usu & experientia didicimus v. g. in pto. homicidii contra designatorem diversorium N. Gunterbacken 1710. contra Locumtenentem S. anno 1713. & in aliis causis contra alios. Quod denique remedia juris, actiones, concernit, quibus quilibet, quod sibi deberur, petit in iudicio, illa pariter ad objectum fori nostri militaris referendæ sunt. De quibus prolixè hic agendi locus non est, sed ex iis intelligi possunt, quæ supra de jure personarum & rerum diximus. Cumque divisiones actionum ex jure nostro Romano sint variæ, ut ex tit. Inst. d. Actionibus patet, earum vero magna pars in Jure Svecico non occurrat, omnium quoque usus in foro militari, cui jus Svecicum maxime pro norma est, esse non potest. Quæ vero actiones Jure Romano recensitæ usum habere & ad jus Svecicum referri possint, illos per indicem, collatione inter Jus Rom. & Svecicum instituta, exhibet *Wexion. cit. Isag. ad Stud. Jur. Civ. Svecico-Rom. dist. V. qvo lectorem remittimus.*

CAP. IV.

De Modo Procedendi, seu Processu Judiciali in foro militari.

CONSPECTUS.

Quando militis causa in iudicio tractatur, ea non diu differtur, sed celeriter ad finem perducitur, quod juvenalis jam olim inter privilegia eorum retulit. n. 1. Processus militaris summaris. n. 2. Reges Svecia in eo formando & instruendo laudantur. n. 3. Persona iudicium militare constituentes, Principales & minus principales, ista quænam in iudicio militari inferiori. n. 4. Quæ in superiori n. 5. licitum auctori & reo excipere contra personas judiciales n. 6. Iudices præstant juramentum, n. 7. Luigantes

gantes persone, & de actoribus publicis n. 8. 9. de actore privato, n. 10.
 de Citatione & quid continere debeat, n. 11. quando eafiat n. 12. de nun-
 tio seu citante, n. 13. de citatione publica, n. 14. an, ad unam causam
 citatus, ad aliam responderi cogatur, n. 15. de citatione reali, n. 16. de
 propositione actoris, n. 17. de responsione rei, n. 18. de Procuratoribus
 & Advocatis an admittantur in iudicio militari, n. 19. de reo confitente,
 n. 20. quod spontanea debeat esse confessio non vi extorta, n. 21. non dolo
 elicitu, n. 22. constare vero debet de corpore delicti, n. 23. si resu negat, requi-
 ritur probatio, n. 24. si actor non probat, obtinet poena rationis, n. 25.
 actor juramento suo non probat, n. 26. quod explicatur, n. 27. probare
 intendens, potest petere dilationem, n. 28. de Juramento purgatorio &
 compurgatorio, n. 29. qui compurgatoris abrogati, n. 30. sanctus debet
 esse iudex in imponendo hoc juramento, & ex quibus iudicis isti sit locus,
 n. 31. & 32. quando singula indicia sufficiunt quando non, n. 33. seq. de
 effectu prestiti huius iuramenti, n. 36. remissi, n. 37. si prestare non possit,
 n. 38. seq. Aliquando DEI iudicio causa reservatur, n. 40. 41. in
 Germania contra gravatum urgentissimis indicis obtinet tortura, qua
 Republica Christiana non profugenda, n. 42. actor in causa civili & cri-
 minali de probatione debet esse sollicitus, n. 43. 44. quid si in crimine fla-
 granti quis deprehendatur, n. 45. de testimonio officialis, n. 46. de testibus
 qui sint habiles & qui non sint, n. 47. seqq. si iuramentum quis testi ob-
 tenuit inhabilitatem, n. 55. seqq. Testes debent examinari in iudicio mili-
 tari, non alibi, nisi ex gravi causa, n. 58. seqq. de confrontatione, n. 61.
 de juramento testium & quomodo deponant, n. 62. & 63. Iudicis mili-
 taris officium in examine testium, n. 64. testibus quibusdam auditis, reus
 potest alios adhuc producere, n. 66. Si unusquisque testes sine examinati, qui-
 bus fides habenda, n. 67. 68. Modus procedendi in processu Inquisitorio,
 n. 69. Denique in causa concluditur, n. 70. quomodo procedatur ad senten-
 tiam, n. 71. seqq. an iudicis militaris admittatur arbitrium, n. 75.
 sententia in scripturam redigitur, subscribitur & publicatur, n. 76. sen-
 tentia est valida, n. 77. si causa Civilis, aliquando appellatur, n. 78. non
 vero in causa Criminali, n. 79. Executio in causis civilibus, n. 80. quid
 si miles nulla alia bona habet, quam stipendium, n. 81. in Criminalibus
 intercessio prohibita, n. 83. de Personis minus principalibus iudicis mili-
 tarii, n. 84.

Inter

Inter privilegia militum omnino numerandum est, ^x
 quod, cum actione pulsantur, sive ab actore publico,
 sive privato, aut quando agunt, *illorum causa non diu*
differatur, necessarius in quocumque processu saltem observatis,
 ut citatione, litis contestatione, seu responsione, pro-
 batione, & sententia, neglectis & rejectis omnibus, qui-
 bus mora, tædium, aliæq; molestiæ, cum magno tem-
 poris & nummorum sæpe jactura, conciliantur, quo
 quamprimum lis ad finem perducatur. Suo jam ævo
Juvenalis hoc inter militiæ retulit commoda, *Sat. yr. XVI.*

Legibus antiquis castrorum, & more Camilli
Servato, miles ne vallum litiget extra,
Et procul à signis. Justissima Centurionum
Cognitio est igitur de milite, nec mihi deerit
Ultio, si justa defertur causa querele.

& paulo post, referens incommoda & moras, quæ in
 judiciis togatorum apud Romanos frequentes erant,
 in militibus vero litigantibus hæc longe aliter se habere,
 pergit:

Asi illis quos arma tegunt, & baltheus ambit,
Quod placitum est, ipsis præstatur tempus agendi,
Nec res atteritur longo sufflamine litis.

Scilicet in judicio militari processus obinet summarius, an ²
 semper juste, multos non sine periculis & damno expertos
 esse, ait *Dn. Mev. P. 8. Dec. 92.* Quando enim ea, quæ ex
 Jure Gentium ad processum sunt necessaria, negliguntur,
 aut ii, qui legum periti & æqui observantissimi
 esse debent, earum sunt ignari, aut justitiam habent
 venalem, tunc fortunæ & vitæ militum non possunt
 non periclitari. Inter Principes posteriorum tempo- ³
 rum, quibus cordi fuit sacram, æquam pariter & sever-

G ram

ram inter milites suos colli ſervariq; juſtitiam, eminent
 præcipuè *Reges Sveciæ*, nec quæmpiam iſtorum novimus,
 qui hos antecedit inferendis condendisq; regulis & le-
 gibus in proceſſu militari obſervandis. Quare & nos in
preſenti Cap. ad ductum præcipuè Conſtitutionis Regis
Sveciæ de anno 1683. in judicio militari obſervanda, neces-
 ſaria de proceſſu militari notabimus, quo ſimul de juſtitia
 4 & æquitate ejus conſtabit, multis eum exagitandi cri-
 minandiq; via ſimul præcluſa. Cauſa quæ in foro
 militari diſceptanda, & ei per ſententiam finis impo-
 nendus, requirit *perſonas judicium militare conſtituentes*,
 quæ vel ſunt principales, vel minus principales & acceſſoria.
 Inter Principales eſt *Judex*, & *litigantes*, qui actor & reus.
Judex alius eſt in inferiori judicio militari, & cuilibet legi-
 oni, ſive equeſtri, ſive pedeſtri, proprio, in dem *Regiments*
Kriegs-Gericht, qui eſt legionis Præfectus, ſeu Chiliarcha
 ipſe, vel ejus vicarius, non vero Supremus vigilium
 Præfectus, qui & teſſerarius primarius dici poteſt,
 vulgo der Major, niſi Chiliarcha, vel fiduciariam hujus
 operam obtinens, non ſit in loco, aut ſi legionis Præ-
 fectus, ſupremus ſit militum Magiſter, eum *Generals-*
perſon, nam tunc etiam der Major Præſes eſſe in judicio
 hoc militari poteſt, & cum Vicario Tribuni vices tunc
 5 alternat. In ſupremo judicio militari, in dem *General Kriegs-*
Gericht, Præſes eſt Dux totius exercitus ſeu Archiftra-
 tega, vel alius inferior militum Dux, quem *Generalem*,
 vel *Generalis* locum tenentem dicimus. Ad utrumque
 judicium Præſides & Aſſeſſores juſto & ſtato tempore
 venire debent ſub certa pœna pecuniaria, *Reſol. R. d. v.*
Febr. 1686. & tunc Præſes primus occupat locum, habetq;
 ſuos Aſſeſſores duodenos, quamquam poſtmodum ex
 Reſol.

Resol. R. Neubusienſis d. 30. Aug. 1701. Affefforum numerus ad feptenarium fuerit redactus; Quilibet Affeffor proedria gaudet, quæ dignitatis & officii aut temporis ratione, quo in militia ſtetit, ipſi debetur, hinc ne propterea altercatio oriatur, ipſis injunctum, ut exemplum Codicillorum fuorum ſecum habere debeant. Perſonis 6 judicantibus locum occupatis, & intromiſſis actore & reo, utriqve licitum eſt contra Præſidem vel Affeffores quosdam graves ob cauſas excipere, inimicitiam v. gr. conſanguinitatem, ultra fratrum & ſororum liberos non tamen extendendam, in genere, ex quibus cauſis licet recuſare teſtem, ex iisdem cauſis etiam judicem tanquam ſuſpectum. Absque cauſa vero nemo Judicem vel Affeffores recuſare poteſt, cum hujusmodi exceptionibus auctoritati & Judicii & Affefforum aliquid detrahi credatur, C. 36. de Jur. Regio LL. & C. 36. de Jud. territ. LL. ibiq. Not., in locum vero recuſati alius ſurrogatur. Poſtmodum vero corporale juramentum præſtatur à Judice 7 ejusque Affefforibus, verba recitante Auditore, aut in ſuperiori judicio Auditore Generali, nempe: ſe judicatuſ juxta Leges divinas, Leges Svecanas & ordinationes, propriamque ſuam conſcientiam, neque ſe ob favorem, amicitiam, affinitatem, conſanguinitatem, multo minus ex timore, odio, invidia, aut ob dona & munuſcula nocentem liberatuſ, aut innocentem condemnatuſ. *Litigantes ſunt actor & reus. Actor vel publicus, 8 vel privatus.* Iſte eſt *Fife alis*, quando cauſa Regem, quodque ejus intereſt, tangit, aut, alio actore deficiente, ſi contra Articulos militares & Conſtitutiones Regias à ſupremis ordinum Ductoribus, Præſectis & Tribunis militum ſimilibusque peccatum fuerit, & licet in cauſis Criminalibus

nalibus partes privatim tranſegerint, Fiſicali nihilominus agendi facultas relicta eſt per *Reſol. R. 1696. vid. Not. 9 ad C. 17. de Jud. Territ. jung. Jus Naut. Svec. 1667. c. 2. Actoris publici nomine veniunt, rerum Capitalium quoque Quæſitores & latrunculatores, judiciū Viator, Gen. Sewaltiget und deſſen Lieutenant, Gerichtsweibel / Profolen / qui accuſatores ſunt militum gregariorum & ordinum ductorum inferiorum. Vid. *Swed. Kriegs-Gerichts-Ordn. / §. 2. 14. 15. 16.**

Actor privatus eſt, qui ſui proprii commodi & utilitatis gratia litem intendit, & iudicis militaris auxilium implorat. Hac imploratio Iudicis fit ab utroque actore vel *oraliter*, vel per *libellum*, quo factio reus vel per decretum & in ſcriptis, vel ore tenus per viatorem, quod plerumque fit, citatur. *Continere vero debet citatio nomen iudicis, actoris & rei, cauſam ob quam quis in iudicium vocatur, locum & tempus, ubi ſcilicet & quando comparere debeat reus.* *Citationes* plerumque fiunt pridiano tempore cum teſſera datur & denunciatur, in die etiam feriato ad diem non feriata, ad feriata vero diem regulariter non fit, niſi periculum in mora. Vid. *L. 9. ff. de L. 10. C. de Feriis L. 12. ff. de publ. iud. Gail. 1. O. 53. n. 13.*

Burger. Obf. 7. Mil. C. 1. O. 40. Nuntio aſſerenti ſibi mandata eſſe citationis executionem fidem haberi, conſuetudine militari receptum, licet alias contrarium ſtatuant practici. Vid. *Mynſ. VI. O. X. n. 4. Gail. 1. O. 54.* Id omnes conſententur, quod nuntio aſſerenti, ſe ritè & legitime ciſſe, credatur, quia hoc ad ſuum pertinet officium. Si tamen citatus probare velit, citationem ad ſe non perveniſſe, aut perſona citata fide digna & indignitate conſtituta, juramento aſſereret, ſe nunquam citatum fuiſſe, audiendus erit, *G. Papa Decif. 557. Mynſ. de O. 10.*

de O. 10. n. 7. Si citandus latitat, aut aufugit, citato fit 14
 quandoque per buccinam aut tympanum, viatore iudicii,
 aut alio alta voce citationem scriptam legente, addito
 certo comparendi termino, ipsi præfixo. Adunam vero 15
 causam citatus miles, in alia causa respondere non tene-
 tur, tum ne utilitas expressionis causæ in citatione
 pereat, quam juxta leges militares requiri modo dixi-
 mus, tum ne effectus citationis, qui in deliberatione
 ponitur, eludatur, L. 2. §. 3. ff. de Judic. Umm. Disp. ad Process.
 V. 6. 69. Citationem alis fit per apprehensionem, quæ quidem 16
 in causis Civilibus regulariter prohibita, Gail. II. Obs. 44.
 Jure quoque nostro militari. In causis Criminalibus vero,
 quando de militis fama aut vita, vel pœna corporis affli-
 ctiva agitur, justis ex causis, & gravibus præsumptio-
 nibus urgentibus, manus ei injiciuntur, Reges, Secretis
 Regl. §. 21. in quo militum Præfecti sæpius peccant, indi-
 stinctim milites gregarios ad custodiam mittentes,
 indeque suis graves & iniqui existunt, contra art. Jur.
 Naut. 36. Actore & Reo comparente, Actor perspicue & 17
 breviter proponere debet originem & causam suæ acti-
 onis, quidve eum ad agendum aut accusandum impu-
 lerit, annexo petito de administranda sibi justitia. Reus 18
 incontinenti perspicuis & claris verbis, respondere tene-
 tur, & causam vel factum simpliciter aut certis cum
 circumstantiis affirmare, vel negare debet. Procura- 19
 tores & Advocati in foro militari minus usitati sunt, si
 tamen causa gravis & negotium sit implicatum admit-
 tuntur, ut desideria litigantium sæpe simpliciorum &
 imperitorum, per istos magis distinctim & ad melio-
 rem judicis informationem proponantur, nec quic-
 quam, quod ad defensionem reorum pertinet, omitta-
 tur,



tur, hinc & in scriptis respondere quandoque reo per-
mittitur Schwed. Gerichts-Process art. 15. Officialis quoque
militum, pro simplici & ad se defendendum minus ido-
neo reo, admittitur, ut huic adsistat, quemadmodum
supra ex Resol. R. d. 27. Sept. 1687. & d. 10. Mart. 1688. jam nota-
vimus. **20** Reo vero intentionem actoris vel accusatoris
simpliciter *confitente*, non aliæ sunt partes judicis, quam
ut eum condemnet ad dandum, faciendum, vel præ-
standum aut patiendum poenam legibus statutam.
Confessus enim in judicio pro judicato habetur, & sua
quodammodo sententia condemnatur, *L. 1. ff. de Confess.*
L. 1. C. cod. nam nemo indiscretè vel sine magna delibe-
21 ratione aliquid confiteri præsumitur. *Spontanea* vero
debet esse *confessio*, non tormentis aut fustibus extorta,
quem tamen ultimum extorquendi veritatem modum,
Præfecti militum sæpiuscule clam suscipere solent, sed
cum periculo actionis Fiscalis. Hoc memini aliquoties
ad eruendam veritatem in milite gregario, & multis
gravissimis præsumptionibus in puncto Furti onerato,
ita processum esse, ut, cum ex Protocollo observatum
fuerit, militem in inquisitione instituta in dictis variase
& bilinguem fuisse, quod Sveci vocant *Tverah*, quod
ex eorum legibus pecuniariter punitur, *Cap. 9. Rahl.*
Stub. proc. Sic militem in custodia virgis fuisse casti-
gatum, & hoc modo furtum cum omnibus circumstan-
tiis fuisse patefactum & punitum, qui modus aperiendi
veritatem sicut non est universalis, ita auctoritate
22 legum militarium non fulcitur. Quemadmodum
vero *confessio* non debet esse coacta, ita nec *dolo elicit*
debet à judice militari, promissione impunitatis reo
facta, quæ Præfecti militum justo liberaliores esse solent,
cum

cum tamen ab tali promissione maxime sibi cavere
 deberent, non tantum, quia hoc modo elicita confessio
 ad condemnandum sola non sufficit, sed & quod tali
 promissione impunitatis facta, judici ad condemnatio-
 nem procedere difficile, cum ei admodum turpe fidem
 datam fallere, *Carpz. Pr. Cr. Q. 113. n. 50.* Licet vero spon- 23
 tanea fuerit confessio militis, non tamen statim conde-
 mnandus est ad mortem, sed de corpore delicti in crimi-
 nibus, maxime facti permanentis, constare prius debet,
 nam miles sua confessione homicidium facere non potest,
 quando factum non apparet, cum & tædio vitæ fieri
 potuerit confessio, *Carpz. Pr. Cr. Q. 16. P. 1. n. 1. seqq.* Sin 24
 reus intentionem actoris neget, aut excipiat, quibuscunq;
 etiam verbis, summarie & nuda facti narratione qua jus
 excipientis elici potest, tunc actori incumbit probatio,
 ad quam & reus obstrictus est, si exceptio ejus in facto
 aut certa qualitate fundetur, & huc pertinet, quod dici-
 tur, reus excipiendo fit actor, *Kriegs. Gerichts Regel §. 5.*
 Quando autem actor intentionem suam non probat, 25
 reus absolvitur, & si grave fuit delictum, cujus nomine
 alterum in judicio accusavit, pœnam calumniantium
 & falsionis, non simplicis & crudæ, sed proportionatæ
 & relatæ ad injurias, & læsiones corpori illatas, ferre
 & pecunia redimere debet, *§. 4. §. 12. Kriegs. Gerichts Proc.*
Reg. Nec actor non probans ad juramentum se offerre 26
 potest, quo veritatem intentionis suæ probet. Ajunt
 enim Sveci juramento quis se defendere, non vero accu-
 sare aut agere, nec quisquam pecuniam sibi adjurare
 potest, *Reg. Jud. 30.* Quod tamen non ita accipiendum, 27
 quasi actor nunquam ad juramentum in supplementum
 admittatur, nam si probæ & spectatæ fidei vir est, huic
 potius

- potius suppletorium, quam reo improbo & doloſo purgatorium deferendum eſt juramentum, *Locc. ſyn. j. Svet. Diſf. 30. qv. 6.* Uterqve autem litigantium ſtatim de probatione debet eſſe ſollicitus, proinde & citatis à Viatore aut in ſcriptis injungi ſolet, ut teſtes & documenta in termino habeant ad manus. Sin vero pars litigans hoc efficere non poteſt, petere ſolet dilationem, aut judex hanc ex officio decernit, *J. 7. Kriegsgerichts Regul. § 26. Sch. Ger. Proc. d. anno 1615.* Cæterum quando actor plene non probat, ſed ſaltem ſemiplene, & reus præſumptionibus & indiciis eſt gravatus, quas teſtibus aut rationibus validiſſimis diluere non poteſt, huic incumbit *Juramentose purgare*, quod juramentum dicitur *der beſetlungs Eydt.* Hoc præſtare debebat miles cum VI. vel XII. compurgatoribus, ipſe de veritate, compurgatores de credulitate jurabant, *§. 11. § 14. Kriegs. Ger. Reg. & horum compurgatorum, ſeu ſacramentalium*, ut dicuntur in *Jure Feudali I. F. 4. §. 2. I. F. 10. I. F. 26. §. 1. I. F. 28. II. F. 33. §. 5. cundatur II. F. 41.*, ſæpiſſime in *LL. Svecicis* fit mentio, de quibus videri poſſunt *Stiernböck. de Jure Svecor. & Gotb. Vet. L. I. c. 9. Paul. Hachenberg Germ. Med. diſf. III. § 17.*
- 30 *Simon int. diſf. de Sacramentalibus.* Hodie compurgatoribus in regno Sveciæ non amplius utimur, nec in foro militari, poſtquam per Edictum Regium de Juramentis *d. 30. Oct. 1695.* ob periculum perjuratorum & abuſum, *juramentum compurgatorum plane abrogatum*, & iſti ſoli, cui delatum hoc purgatorium, præſtare injunctum eſt. Judex vero militaris ad imponendum hoc juramentum non facilis eſſe debet, ſed rationes & præſumptiones bene prius perpendat, cujus nam ſint ponderis & efficaciz, 32 quam eo perveniat. In jure militari noſtro quædam earum

earum recensentur, ob quas reus se purgare tenetur. v. g.
 Si aufugerit (2) si cum aliis reis in societate fuerit, (3)
 si antea hujusmodi delictum commiserit, aut (4) malæ
 fit famæ, & diffamationis similium delictorum, si (5)
 minatus sit iis, quibus postmodum nocitum est, (6) si
 in judicio bilinguis fuerit, (7) si extra judicialiter quid
 confessus fuerit, aut (8) si facinus de se jactanter pro-
 nuntiaverit ante vel post judicium acceptum, (9) si uni-
 cus sit testis fide dignus qui præsens fuit & aliquid vidit,
 cum aliis similibus indiciis & præsumptionibus, quas
 prudens judex bene perpendere debet. *R. Ver. Proceſſ*
R. §. 13. Non vero existimandum est, quasi *singula indi-* 33
cia modo numerata sufficiant ad imponendum militi
 juramentum purgatorium, sed quod quædam istorum
 indiciorum conjunctim sæpius requirantur. *Verisimile*
 enim & *leve indicium*, ut mala fama, aut fuga, non cohæ-
 ret rei aut maleficio, sed remotum est ab ista connexi-
 tate, Ergo non debet operari effectum tam insignem &
 præjudicalem, & causa sua potiore, *conf. Const. Crim.*
art. 25. seqq. Farinac. de Indic. L. 1. quest. 37. n. 43. Quot 34
 vero indicia simul requirantur, arbitrio Judicis com-
 mittendum. Quæ enim non possunt singula, multa
 & simul juncta juvant, *Mod. Pistor. V. 2. Conf. 30. n. 6. Tab. de*
Tort. ad Art. C. C. 27. §. 2. 4. Quædam tamen ex indiciis,
 vel *singula* sufficiunt, ut si unus testis exceptione major
 adsit, qui de facto testimonium perhibeat, tunc enim
 reo militi juramentum purgatorium injungi potest.
 Quia vero hoc juramentum cum periculo conjunctum, 35
 & inter milites famam sugillare creditur, *d. l. R. Ver.*
Reg. §. 12. Judex non sit nimis credulus, nec ad juramen-
 tum hoc imponendum præcepta feratur, sed omnes in-
 genii

H

- genii vires in id intendere debet, quo alio modo veritas
- 36 indagetur & eruatur. *Præstito* vero à milite hoc juramentò, hunc habet effectum, ut absolvendus sit definitivè, tum quoad causam principalem, quam quoad alia accidentia, *Rr. Ger. N. §. 10. Loccen. d. l. D. 30. qv. I in f.*
- 37 *Remisum* vero militi juramentum consentiente adversario à iudice militari, habetur pro præstito & reus indè pariter liberatur, *Wexion. postea Gyllenstolp dictus in delineat.*
- 38 *process. Jud. Svec. b. 8.* Sin reus juramentum purgatorium detrectet, & præstare non possit, pro confesso quidem habetur in levioribus delictis, in gravioribus vero ultimum supplicium merentibus, non condemnatur ad mortem, quia in his ficta confessio non sufficit, sed probationes requiruntur evidentes, & satius est impunitum relinquere facinus nocentis, quam innocentem condemnare, *L. 5. ff. de pæn. & melius est, præceptore Gratiano c. 12. C. XXVI. q. 7. propter misericordiam reddere rationem, quam propter crudelitatem, vid. Carpz. pr. Cr. P. 3. qvæst. 116. n. 27. & 54. Loccen. in Syn. Disf. 30. Q. 3.*
- 39 In Jure militari nostro statutum, ut in eo casu causa cum omnibus circumstantiis ad Regem, vel eum qui supremus belli Dux, una cum consilio & sententia iudicii de ea re, deferatur, quo ratione circumstantiarum pœna arbitraria statui possit, *§. 10. Rr. Ger. Proc.* Est quoque in Jure militari
- 40 *Svetico* constitutum, ut si gravissimæ & urgentes quidem præsumptiones & indicia adsint, de perjurio tamen valde metuatur, *causa DEI* iudicio reservetur, & tempore futuro committatur, donec supremo Numini placuerit eam manifestare. Non tamen in re occulta & dubia ad id absque summa necessitate & omni diligentissima & accuratissima investigatione & inquisitione ad eruendam

dam veritatem frustra adhibita, deveniendum est, nec
 istud prius locum habet, quam relatione transmissa ad
 suum iudicem Regem, vel eum qui eius loco est, §. 20.
Sr. Ger. Proc. Spectat huc, quod Carolus M. in Constitu- 41
 tione quadam disposuit. In ambiguis, inquit, DEI
 iudicio semper reservetur sententia, quod Iudices certo
 agnoscunt suo, quod nesciunt, divino reservant iudicio.
 Quamvis enim vera sint, non tamen credenda sunt, nisi
 quæ certis indiciis comprobantur, nisi quæ manifesto
 convincantur, nisi quæ iudiciario ordine publicantur,
Lib. VII. Capit. 186. Lehm. Chr. Sp. L. 2. c. 28. Lindenbrog. in C. LL.
Antiq. p. 1082. Alias in Germania & alibi, rei, qui hujus- 42
 modi urgentissimis indiciis gravati sunt, ex Consilio
 Actorum torturæ subjiciuntur, quem indagandæ &
 eruendæ veritatis modum Svecis licet non probatum,
 tamen receptum non improbandum, nec ob abusum
 fortean, Torturam è Republica Christiana, cum Bacchor.
 & aliis, quos sequutus est Dn. Thomasius, profligandam esse
 existimamus. Ex jam dictis satis apparet, quod actor 43
 de probatione ante omnia sollicitus esse debeat, quæ fit in
Causa Civili per instrumenta, chirographum, vel etiam
 per testes *cap. 33. de Jure Regio.* & quando debitum ex in-
 strumento intra viginti annos non exegerit, censetur ex-
 stinctum, *Not. ad d. c. 32. lit. d. in Causa Criminali* probatio 44
 fit per testes. *In flagranti vero crimine* si quis apprehen- 45
 datur, habetur ac si per testes convictus esset, *Not. ad*
c. 21. & 35. tit. de Viol. Jur. Reg. Carol. IX. Gardavat. de an. 1590.
 §. 14. Hoff. *Art. 165. §. 27. Testimonium vero officialis militum* 46
 solum non sufficit ad condemnandum, *Resol. anno 1699.*
d. 19. Aug. Qui provocat ad testes eos nominare, & Iudex 47
 ad testimonium dicendum eos citare debet, producti
 H 2 vero

vero debent esse *habiles & admissibiles*, de quibus cogno-
 scitur & judicatur, antequam juramentum præstant,
 hinc Judex ex eo, contra quem producuntur, quære-
 48 solet, an productum pro habili agnoscat teste. *Habiles*
 vero non sunt *jure nostro militari*, proscripti, banniti,
 excommunicari, hæretici, infames, quales sunt fures,
 sacrilegi, raptores, proditores, pacis publicæ & dome-
 sticæ turbatores, Latrones, homicidæ dolosi, venefici,
 49 perjuri, transfugæ, adulteri, stupratores, quamquam
 militem stupratorem à testimonio rejectum fuisse non
 memini, feminam vero stupratam sæpissime, an, quod
 major castitas in femina, quam in viro requiratur secun-
 dum nonnullos, nec viro quicquam decedat? nos exi-
 stimamus ex fornicatione & virum infamiam facti con-
 trahere, *Freber. de Infam. L. 3. c. 16. n. 21. 22.* Hæ personæ
 tamē, si publicam egerunt poenitentiam, & vitam emen-
 daverunt, ad testimonium admitti solent, vid. *Rec. R. Suet.*
 sub *Gustavo 1538.* & *ita admissa Anna Dorothea Röslers contra den*
 50 *Fourier Carl Friderich Weyhers d. 22. Mart. 1712.* Porro habiles
 non sunt *Cognati & Affines*, non tamen omnes nec omni
 modo. Quid enim si soli interfuerint, si alii non possint
 haberi, hinc & in formula juramenti testis est expres-
 sum, quod veritatem, non attenda cognatione aut affini-
 tate, dicere velit, Propinquiores intelligendi erunt,
 51 cognatione ultra fratrum liberos non extendenda. *Testes*
 non sunt *domestici*, nisi in casu necessitatis ac difficilis pro-
 bationis, & ubi veritas aliter haberi non potest, *Loccen.*
 52 *d. l. D. 30. §. 34.* Nec tales sint, qui aperte ex favore, vel
 odio aliquid prolaturi, vel veritatem celaturi sunt; non
 testes in propria causa, non impuberes, vel minores
 15. annis, non plane ignoti & peregrini, de quorum fama
 certi

certi esse non possumus, non se ingerentes & sponte ad
 testimonium dicendum se offerentes, nec testes ex rela-
 tione aliorum & de auditu saltem deponentes, quales
 tamen in re antiqua admittuntur, c. 4. §. 4. de Jur. R. LL.
 Nec admittitur, qui terminos finium causa positos
 dolose ejecit, avulsit, propulit, & finium obscurandorum
 gratia faciem locorum immutavit, c. 27. §. 2. von Bau-
 sachen / LL. Testes vero tam mares, quam feminae admit- 53
 tuntur, sive sint possessionati, sive non, modo sint bonae
 famae & alias habiles. Qui in testem vocatur ad testi- 54
 monium dicendum cogi potest, *Gail. 1 O. 100. Schw. Hoff.*
Ger. Präf. Bericht wegen der Zeugen de anno 1684. Si alteruter 55
 litigantium testi producto tale quid, ex quo inhabilis fit,
 objecerit, testis vero negat, objicienti incumbit proba-
 tio, de qua cognoscit Judex, sive superior, sive inferior,
 si quidem ab eo Judice, ubi lis de testis habilitate oritur
 ea quoque decidi debet, nec ad alium Judicem, ut ulte-
 rius de eo inquirat aut decidat, remittitur, *Ref. R. d. 2. Jan.*
1702. Hinc is, qui decreto Judicis ratione testis se gra- 56
 vatum esse existimat loco Appellationis, intra dimi-
 dium temporis, quod ipsi alias ad superius judicium
 provocanti concessum est, gravamina sua oraliter, vel
 in scriptis proponere debet, & testis interea examinatur,
 sed juramenti praestatio differtur, *R. Resol. d. 5. Febr. 1697.*
 Qui testi objicit eum esse falsarium, improbum, &c. 57
 propterea injuriarum non tenetur, dummodo non inju-
 riandi, sed se defendendi animo id faciat, *Coroll. 4. ap.*
Wexion. in 1 sag. Disp. 4. Hoc circa testes, ad quos litigantes 58
 provocant, observandum quoque est, ut licet sub alia sint
 jurisdictione, tamen testimonium in judicio militari
 dicere debeant, non coram Magistratu suo, ut iste eos

H 2

exa-

- examinet, & Rotulum deinceps ad Judicem militarem mittat, idque non tantum *speciali Resolutione d. 9. Febr. 1696. de Civibus Sundensibus* aliisque *Civitatis* membris ita statutum, sed & alia *Resolutione Regii Senatus Holmensis ad Dominos Dica-*
- 59 *steriales Pomeranie* extensum est d. 3. Mart. 1705. Qvemadmodum vice versa milites, cujuscunq; ordinis, in testes vocati, in loco judicii, ubi causa discutitur se sistere debent, nec ad forum suum provocare possunt. Sane si
- 60 testes *longe absint* à loco judicii militaris, coram suo magistratu examinantur, citatis ad id prius partib; vom *Proceß in Schiffsfachen des Sec. Rechts / c. 8. §. 1. Verordu. wegen Ger. Proceß beym Rhum. Cap. §. 22.* Ex causa quoque legali & fontica in loco alio quam judiciali testis coram deputatis judicii deponere potest, c. 27. *Nachst. Proc. Stl. §. 26.*
- 61 *Kr. Ger. Proceß.* Judici quoque ratione circumstantiarum, quo veritas eruatur, debito tempore & modo *confronta-*
- 62 *tio* permessa est, *R. Res. d. 15. Mart. 1688.* Testes undiq; aq; probati & exceptione majores, moniti de vitando perjurio, in præsentia utriusq; partis corporale præstant juramentum, digitis Codici Legum Svecicarum impositis, vel etiam erectis, *cujus formula legitur* in den *Kr. Ger. Proc. Reg. §. 25.* postmodum in præsentia rei & actoris deponunt singuli, tamen seorsim, ne testimoniû perhibentes se invicem audiant atq; colludant, & quidem de eo quod ipsimet viderunt aut audiverunt, non quidem ad Articulos & interrogatoria, sed simpliciter referendo factum de quo testantur, quod & alibi locorum in judiciis non militaribus, ubi summarie proceditur, observatur, sic v. g. idem obtinet in Holfatia in judiciis Præfecturarum, Prælatorum & Nobilium *teste Fusch in Introd. in Prax. For.*
- 64 *L. 1. c. 13. §. 3.* Judicis vero militaris officium in hoc examine

mine est nobilissimum, & ipsi inunctum, ut si pars quædam negligat quærere ex testibus, hoc enim illi licitum, ea obferret & quærat, quæ ad eruendam veritatem, & ad innocentiam rei docendam necessaria sunt, hinc causam quoque dictorum subinde exigit à teste Judex, an ipse viderit, & præsens fuerit, an rogatus sit ad testimonium dicendum, & quare &c. Depositione facta hæc 65 testi prælegitur, & ipsi indultum ut necessaria circa depositionem suam ex fide juramenti præstiti monere possit, von Verichtsachen in Seelachen c. 8. §. 3. Rr. Ger. Process Reg. §. 26. Si reus testibus quibusdam auditis quid illustrare, 66 probare, aut contrarium aliis testibus docere velit, hoc ipsi non denegatur, reo enim ad innocentiam suam probandam nunquam probatio præcluditur, quemadmodum & officii Judicis nostri est, defensiones rei adjuvare, eumque interrogare, quæ ratione innocentiam suam probare velit, per se, vel per alios, in primis, numquid eo tempore, quo crimen perpetratum fertur, in loco non suspecto fuisse ostendere queat, conf. Carpz. Pr. Cr. Q. us. n. 17. Auditis & examinatis testibus ab utraque parte 67 productis, isti parti fides habetur & pro eo pronuntiat, qui testes habet optimos & numero plures, & quorum depositis lux veritatis adsistit, quæ omnia prudens & iustitiæ amans Judex bene ponderare & invicem conferre debet, Rr. Ger. Proc. §. 27. c. 32. X. de Test. Farinac. de Test. quest. 65. n. 77. Si vero utraque pars testes habet 68 numero pares, & æquè honestos & fide dignos ex quorum depositione non appareat utrius pars probatio magis relevet, & sic Judex dubius relinqvatur, reus potius absolvendus, licet fortean nocens fuerit, cum præstet nocentem, qui convinci non potest, absolute,

- vere, quam innocentem condemnare aut cruciari,
- 69 Richt. Reg. 21. Not. ad c. 21. von Ser. Sachen. Quæ hætenus de *Processu accusatorio*, modoque in eo procedendi in foro militari diximus, eadem etiam obtinent in *Processu inquisitorio*, quando Judex ex præsumptionibus urgentibus indiciisque evidentibus, v. gr. si res furto ablata penes aliquem reperta, si in flagranti deprehensus fuerit, inculpatum apprehendi, & per certum à se constitutum actorem accusari curat, ut tunc scilicet idem ordo in proponendo, respondendo, probando, præstando juramento & aliis modo commemoratis observetur, Rr. Ser. Proc.
- 70 Reg. §. 21. Causa itaq; satis instructa, auditisque partibus earumque defensionibus & probationibus, hisque omnibus in præsentia litigantium prælectis, & interrogatis, num novi quid addere desiderent, (vid. L. 9. C. de Judic.) si submitunt sententiæ, atq; sic in *causa conclusum*, ad eam ferendam progreditur; si nova adhuc proponant quæ ad intentionem actoris magis probandam, aut defensionem rei ejusque innocentiam docendam faciunt, ista adhuc, si alicujus sunt ponderis, audiuntur, sin secus, rejiciuntur.
- 71 Tum hoc proceditur modo ad sententiæ, ut Sermones & Consultationes de tota causa instituuntur, quæ si sunt unanimes, sententiæ in eam mentem concipitur:
- 72 Si vero sententiæ in judicio sunt divisæ, vota colliguntur à Præside, faciendo initium ab ultimo Assessore & progrediendo ad primum, quod majori parti placuerit, ut tamen vota & sententiæ articulis militaribus, legibus divinis, & Sævicis, aliisque Regiis edictis & statutis conformia sint, hoc abijt in sententiæ. Si vota ab utraque parte sunt paria, illorum sententiæ prævalet, quæ Præsidi ob rationes validiores probatur, & cui propterea ipsemet

ipsemet accedit. Si causa talis in iudicio tractatur de qua nulla lex 74
 existat, itur ad Regem & ab eo petitur decisio, quod & observatur,
 quando Assessores de vero legis intellectu inter se convenire non pos-
 sunt, Schwed. Ver. Ord. 1614. §. 2. Resol. R. d. 15. Nov. 1684.
 & d. 21. Nov. 1687. & 14. Jun. 1688. Sanè si in articulis milita- 75
 ribus iudicantibus relictum, ut ipsimet arbitrari possint, ut Art. 25.
 36. 52. 83. 84. 99. 102. 107. 110. 114. 138. arbitriam quoque
 poenam, habita ratione personarum, causarum, modi, loci, temporis, &
 eventus, imponere possunt, aliàs vero hoc ipsis non licet. Senten- 76
 tia deinceps in scripturam redigitur à Secretario vel Auditore, quæ præ-
 cipuas circumstantias rationesque decidendi, nec hoc malè juxta
 Carpz. P. I. Dec. 85. n. 13. continere, impenfarum & damni quoque
 mentionem facere debet, deinde subscribitur à Præside, & ab Audi-
 tore aut Secretario in præsentia partium, foribus apertis armatisque
 quibusdam militibus adstantibus, publicè recitatur. Quod ita 77
 per sententiam definitum, hoc sequendum, & ut irrevocabile haben-
 dum est, quæ eademmodum & apud veteres Romanos non dabatur Pro-
 vocatio, quando miles à Duce condemnatus erat, Lips. de Milit. Rom.
 L. V. Dial. 18. p. m. 361. Apud nos si causa civilis, & valorem 78
 ducentorum thalerorum monetæ argenteæ Svec. superat, per appel-
 lationem, in qua ad formalia non adeo respicimus, Mev. P. I. Dis.
 150., ad superius iudicium militare ea deferitur, ut & si quis quærat
 inferius iudicium ipsi iustitiam non administrasse, aut nullitatem com-
 mississe, quæ variè est jure Svec. ratione Judicis, partium, formæ
 processus & causæ, vid. Nor. ad c. 39. von Gerichts. Sachen L. L. &
 quando talis nullitas commissæ, ut causa de novo examinari debeat,
 Fiskalis agit contra perperam iudicantes, Resol. R. d. 8. April. 1687.
 Si vero non appellaverit, ob summam forte 200. th. minorem, nihil-
 ominus in hoc vel isto puncto se gravatum à Iudice inferiori per
 libellum supplicem, Regi, vel supremo belli Duci, inscriptum quæri
 potest miles, & revisio a eorum Auditori Generali committitur, Cau-
 tus vero in eo esse debet, si enim absque gravi causa hoc fecerit, rati-
 one circumstantiarum arbitrarie, graviter tamen punitur. Si causa 79
 Criminalis est, quæ famam & vitam militis concernit, à tali sententia
 non quidem conceditur appellatio, antequam vero exequitur, ea de-
 fertur

- fertur ad Regem, aut si in castris sunt, Rege absente, ad supremum belli Ducem, cujus voluntatem expectare debet iudicium militare.
- 80 quam excipit deinceps executio. *In causis Civilibus* executio fit in bona militis mobilia & immobilia, (quæ nec immunita ab arrestis coram iudicio non militari, *Mov. P. IX. Dec. 21.*) non in stipendium militis, quod ipsi instar alimentorum est, neve negligenter faciat officium, cum pro operis nihil solaminis accepturus est, ut propterea regulariter in stipendia ne arresta quidem decernenda, *Mov. P. VIII. Dec. 27.* Sin vero nulla alia habet quam stipendium, dimidium huius militi officiali debitori relinquitur, altera vero pars Creditori addicitur, vid. *Königl. Erklärung über des Gesetzes rechten Verstand de anno 1687. §. 3.* & quod per *Epistolam ad Gubernatorem decrevit d. 15. Febr. 1689. Not. ad c. 27. von Berichts. Sachen in. C.* Militi gregario si multa imponitur, quando ipsi non est, unde solvat, de stipendio damnum datum refarcitur, reliquum multæ corpore luere debet, *Jhr. Königl. Mayr. Brief an die Hoff. Ber. d. 4. Mart. 1685.*
- 83 In *Criminalibus*, quo vigor disciplinæ militaris conservetur, nec Rex aut supremus belli Dux importunis sollicitetur precibus, prohibendum est, ne quis pro condemnato intercedat, gratia ipe ei faciendam expectat, nisi quis condemnatum propinqua occasione contingat, aut talis sit delictum, quod veniæ, clementiæ, mitigationisve pœnæ dat locum. *§. 22. Kriegs. Berichts. Proceß.* Denique quod per *personas minus principales* iudicium militaris concernit, ut sunt Secretarius, sive Actuarius, Appellatores & Viatores, Procuratores, de iis, & quæ ad officium eorum pertinent, occasione data supra jam dictum est. *Conf. Jhr. Königl. Mayr. Verordnung, welcher gestalt es bey den General- und Regiment. Berichten unser dero Milice gehalten werden soll, cum annexis. Michael. Waxion. byvotis delineatio process. iud. in Imperio Svec. Gothico: Löccen, in Synops. Jur. Svec. Disf. 30. Claud. Kloost Proceß. Crim. ad Jus & Forum Svec.*

S. D. G.

☞ § : (O) : (S) ☞


Greifswald, Diss., 1726-32



f
sb.







17
13200

Q. D. B. V.
DE
FORO MILITARI,

1726, 12 2

AMPLISSIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ
CONSENSU,

PUBLICÆ DISPUTABUNT

PRÆSES

JOACH. ANDREAS
HELVIGIUS,

JUR. UTR. LICENT. PROF. JUR. ORDIN.
CONSIST. REGII ASSESSOR,

ET

RESPONDENS,

PHILIP ERNST DE HORN,


EQUES POM.

ANNO MDCCXXVI. M. MAJIS,

IN

AUDITORIO MAJORI

H. L. Q. C.



GRYPHISWALDIÆ,

Typis DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,
Reg. Acad. Typogr.